# INSTRVCTIONES

## FRATRVM DISCALCEATORVM CONGREGAT. S. ELIAE



Ordinis Beatiſsimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo.




ROMÆ, MDCXXX.

Apud Ludouicum Grignanum.

*Superiorum permiſſu.*

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo P.
Mag. Sacri Pal. Apost.

*A Episc. Bellicastren. Vicesg.*



*Imprimatur*,
Fr. Thomas Aquauiua Socius Reuerendiss. P. Fr. Nicolai Riccardij, Sacri & Apost. Pal. Mag. Ord. Præd.

IESVS MARIA.



# F. FERDINANDVS A S. MARIA PRÆPOSITVS GENERALIS

Fratrum Discalceatorum Congr. S. Eliæ, Ordinis Beatissimæ Virginis MARIÆ de Monte Carmelo,

*VNIVERSAE CONGREGATIONI Salutem.*



N tibi, alma S. Eliæ Carmelitarum Discalceatorum Congregatio, Instructiones tamdiù desideratæ, toties in Capitulis expostulatæ, in lucem prodeunt, vbi vniuscuiusq. munera, ferèq.

omnes regularis obseruantiæ actus vberrimè præscribuntur, quibus, in Definitorio Generali nostro hoc anno 1630. die 2. mensis Ianuarij celebrato, vltimam manum imposuimus, easq. typis mandare curauimus, vt facilius ab omnibus præ manibus haberi, ac sedulò in morem induci, & obseruari possint, quod hortamur, præcipimusq., vt omnes vno animo, eisdemq. actionibus, ac norma Altissimo deseruientes, pace Dei (quæ omnem exuperat sensum) in hac, & æterna fruamur vita. Dat. Romæ in Conuentu nostro S. Mariæ de Scala die 30. Maij MDCXXX.

F. Ferdinandus à S. Maria Ꝑrępos. Gen.

Locus † Sigilli.

*F. Ludouicus à S. Francisco Definitor Gen. ac Secr.*

IESVS MARIA.

340

# INSTRVCTIONES FRATRVM CARMELITARVM DISCALCEATORVM.

## PRAXIS VISITATIONIS SECTIO PRIMA.

### *Præambula Visitationum.*



ISITATOR, siuè ex officio ei attineat Visitatio, siuè ex commissione, præ oculis habeat, se Christi officio fungi, qui per viscera misericordiæ suæ visitauit nos; licet enim ad corrigendum, & dirigendum missus accedat, in spiritu lenitatis instruere debet subditos, & illuminare his, qui in tenebris sedent, & dirigere pedes eorum in viam pacis, & hoc imbutus spiritu debet docere, arguere, obsecrare, increpare, vt destruat vitia, & inobseruantias, vt

ædificet, & plantet virtutem, sanctitatem, & amorē. Auctoritatem, aut commissionē suam perpendat, ne excedat, vel diminuat eam.

Non permittat, se honorificentiùs recipi, quàm Manuale nostrum prescribit, & honorem debitum cum humilitate recipiat.

Decens esset, breuiter aliqua verba spiritualia proferre, postquam obedientiam Fratres præstiterint, quæ paternum amorem, & desiderium profectus spiritualis indicent.

Si defatigatus ex itinere accedat, post horam recreationis per Constitutiones concessam, se cum Socio, vel Socijs, & paucis alijs colligat, suæ necessitati prouideat, & voces, & colloquia inutilia Fratrum vitet.

Postquam requieuerit per aliquem diem, priusquā Visitationem incipiat, curet Orationi, Choro, Refectorio, & alijs actibus communitatis assistere, vt opere incipiat suos docere.

Die, qua Visitationē incipere voluerit, hora orationis, si hyems fuerit; si verò æstas, vna, vel dimidia hora antè orationis horā solitā, signū dabitur eodem modo, & cū tot pulsationibus, quot pulsari solet ad Capitulum Conuentuale ordinarium, sed aliquantulum sedatiùs; & ipse vltimus accedens, genuflexus, & aliquantulum orās incipit *Hymn.* Veni creator Spiritus, &c. dictoq. ℣. Emitte spiritum tuum, &c. subiungit *Orationem* Deus qui corda fidelium, &c.

post-

poſtmodum ſedens exhortationem faciat, qua deuotione, & efficacia poterit.

Qua finita, ſi fuerit Delegatus, literas ſuę legationis faciat legere, poſtmodum præceptum ſcriptum clarè, & altè, vt in Conſtitutionibus præſcribitur, legere faciat; ſi fuerit Generalis, vel eius Delegatus poſt illud verbũ præcepti, aperiat, dicat ſic; An in Superioribus huius Prouinciæ, vel in hoc Conuentu, vel Fratre quouis, &c. vt iacet in præcepto in Conſtitutionibus appoſito.

Et ne Fratres Donati, & alij minus ſcientes errent, & modum excedant, exponat publicè communem correptionis fraternę doctrinam, quod accuratiùs efficiet erga ſingulos, quos interrogabit, antequam illi quidquam corripiendum deponant.

Poſtmodum præcipiat omnibus, ne durante Viſitatione Domo exeant abſq. expreſſa ipſius venia, quam pro rebus omninò neceſſarijs ſolummodò concedet. Horam præſcribat, qua ordinatè accedere debeant ad deponendum incipiendo à maioribus.

* * *

# SECTIO SECVNDA.

## *De Visitatione Sanctissimi Sacramenti, & Altaris maioris.*

MAnè post impositum præceptum, sacrum faciat in Altari maiori, & ibi Sanctissimum Sacramentum visitet, & diligenter inspiciat pyxidem, quæ communioni deseruit, an Hostiolas frequentiæ nostræ Ecclesiæ conuenientes abundanter contineat, & inspiciat, & tentet coperculum, an strictè, & sigillatè claudat pyxidem, quæ in loco congruo, vt faciliter extrahatur, & claudatur, reponi debet.

An, si vltrà hanc pyxidem, alia sit in altiori loco reposita, vbi vulgo reseruatur, & adoratur ab ingredientibus Ecclesiam Sanctissimum Sacramentum, in qua Hostia maior conseruari debet ad exponendum apta (quando exponi necesse fuerit) cum aliquibus Hostiolis, ne si pyxis, quæ quotidiè communioni fidelium deseruit, omninò vacua remanserit (vt frequenter euenire solet) Hostiæ desint ad communicandos eos, qui iam antè Altare ad communicandum conuenerant. Inspiciat diligenter Custodiam, vel Tabernaculum maius lapideum, vel ligneum intus, in quo reponuntur pyxides,

an

an benè clauſa ; & tuta ſit ſera, & mundum intus , & ita clauſum , & benè compactum foris, vt nequè formicula , nequè vermiculus aliquis ingredi poſſit, quod operiri debet vmbraculo, ſeù baldachino ſerico, coloris officio diei conuenientis , &c. ſi talis haberi poſſit .

## SECTIO TERTIA.

### *De interrogationibus communibus .*

ACcedens Prior ſecum ferat ſcripta nomina , cognomina , ætatem, officia, & gradus ſingulorum , & Viſitatori tradat . Ferat ſimiliter libros actuum Capituli Generalis , & Definitorii Generalis , Capituli Prouincialis , & Definitorij Prouincialis, & videat Viſitator, an acta ſint in modum libri compacta , vt præcipit Conſtitutio , an aliqua deſiderentur ; & omnia benè obſeruentur , libros etiam Viſitationum , & videat Viſitator , an ordinationes à Viſitatoribus præcedentibus factas obſeruentur ; & an conueniat illas confirmare ; ferat ſimiliter librum actuum Capituli Conuentualis , & videat ,an actus Capituli in illo deſcribātur, & ſubſcribātur iuxtà Conſtitutiones, & Inſtructionem libri actuū Capituli Conuentualis, Viſitator ipſum Priorem, & alios omnes

exa-

examinet, & interroget, an charitas, & pax vigeant, & an sit aliquis querulus, & rixosus?

Quærat de tribus votis in commune, an exactè obseruentur?

An Regula, & Constitutiones legantur, & obseruentur.

Si horæ orationis, & vigiliæ noctis coram Sanctissimo Sacramento, & examina conscientiæ exactè fiant.

Si diuinum officium sedatè, clarè, & cum pausa persoluatur?

Si Missæ deuotè, & cũ pausa dicantur, & si in vnaquaq. dimidiũ horæ, aut circiter insumatur, & Fratres diebus præscriptis communicent?

Si omnes ad Chorum, Refectorium, & cætera Communitatis officia conueniant?

Si Domum exeunt cùm licentia iuxtà Constitutiones consultis Discretis, & pro rebus necessarijs, & præscriptis in Constitutionibus?

Si in recreationibus exceditur modus, aut numerus?

Si sint aliqui nimium affecti parentibus, & de eis nimis cogitent, & velint in eorum negotijs se intromittere?

Si sint, qui frequenter cũ secularibus agant?

Si aliquis in visitandis mulieribus est frequens, aut cum illis minus modestè, & religiosè se gerat?

SE-

# SECTIO QVARTA.

## De Priore poterunt inquiri sequentia.

AN examinet spiritus Fratrum?

An, quando mittit foràs Fratres, consulat Discretos iuxtà Constitutionem?

An visitet infirmos singulis diebus?

An eis prouideat de necessarijs?

An sequatur communitatem in Choro, & Refectorio, Victu, & Vestitu.

An frequenter exeat Domo.

An in expendenda pecunia obseruet Constitutionem?

An Capitulũ faciat singulis hebdomadibus?

An exhortationes sint de obseruantia Regulæ, & de perfectione monastica?

An corrigat culpas, & maximi faciat obseruantiam?

An in Cella eius seruetur silentium, horis præcipuè silentij magni.

An exercitia spiritualia faciat, & curet à Fratribus fieri?

An visitet Cellas regulariter per se ipsum post Completorium?

Ac demum, an in omnibus exemplum obseruantiæ præbeat, & curet diligenter in

om-

omnibus bonum commune conseruare, & augere.

## SECTIO QVINTA.

### *De Officialibus inquiri possunt sequentia, & primo de Suppriore.*

AN suum expleat officium iuxtà instructionem Supprioris?

An cum Priore conueniat, & illi vnitus sit, & exemplum alijs obedientiæ, & humilitatis præbeat?

An Communitatem in omnibus sequatur?

An de Fratribus iunioribus exactam curam gerat?

### *De Procuratore.*

AN suum sollicitè perficiat munus iuxtà suam Instructionem?

An in exequendis negotijs Conuentus, & sibi à Priore iniunctis sollicitè, & modestè se gerat?

An difficilis sit in soluendo creditoribus?

322

## De Sacrista.

AN Sacristiam, Altaria, Ecclesiam, & ornamenta munda, composita, & ornata conseruet iuxtà suam Instructionem?

An cum omnibus comiter,& religiosè agat?

An cum mulieribus nimis familiariter se gerat, & longa cum eis colloquia interserat.

An suis temporibus Ecclesiam claudat, & aperiat, & an colloquia, & gestus indecentes in Ecclesia fieri patiatur.

## De Discretis.

AN faciles sint in dandis suffragijs ad exeundum Domo.

An perfectiora promoueant.

An Priori se opponant, & facilè ei contradicant.

## De Magistro Nouitiorum.

AN exactam curam Nouitiorum gerat, & suo muneri satisfaciat secundum suas Instructiones.

Si nimium facilis est in recipiendis, & retinendis Nouitijs.

Si nimium difficilis in acceptando, & facilis in reijciendo.

An Communitatem in omnibus sequatur.

An orationi sit deditus, & mortificationem, & obseruantiam operibus, & verbis doceat.

An notabiliter alicui adhæreat.

## De Custode Cellæ Vinariæ.

AN curam gerat secundum suam Instructionem.

An aliquos ducat ad bibendum, vel aliquibus meliùs vinum tribuat, vel sibi seruet.

## De Custode Vestium.

AN mundam, & prouisam suam officinam teneat.

An ęqualiter omnibus necessaria distribuat.

An omnibus ex eodem panno fiant vestes, tunicæ, & subligacula, si stramenta lectorum æqualiter pro necessitatibus, & ætatibus singulorum distribuat.

Si charitatiuè, & vrbanicè tractet, respondeat, & prouideat Fratribus.

Si

Si singulis hebdomadibus omnibus tunicas mundas tribuat, & alia iuxtà suam Instructionem præstet.

322

## De Bibliothecario.

INspiciat Visitator, an fabrica, & fulcimenta, vbi libri reponuntur, sint iuxtà nostras Constitutiones, & Instructionem Bibliothecarij disposita, si Index omnium librorum sit, requirat, & videat, scisciteturq. an pereãt, si libri frequenter commodentur, si extrahantur, si absque necessitate in Cellis otiosè detineantur, & illos in Bibliotheca reponi iubeat.

## De Ministro Culinæ.

AN iuxtà Instructionem suam se gerat, & nulli aliquid singulare præstet absque Superioris venia. Et an paupertatis sit cultor.

## De Ianitore, & alijs.

AN secundum suas Instructiones se gerant.

De-

## *De Visitatione Ecclesiæ, quæ fieri potest antè, vel post interrogationes.*

ALtare maius, quod lapideum, aut ex opere lateritio esse debet, perlustrabit, & requiret, ac videbit, an tribus mappis opertum sit, ad minus sacer, qui in medio Altaris esse debet; quod Altare longum esse debet 12 aut 14. palmorum, aut circiter ex palmis, quibus vestes metimur. Sit Altare eleuatum super duos gradus, quibus bradella adiungetur, altum quatuor palmorum cum dimidio prædictæ mensuræ, latum trium palmorum ad minus, vel longum ad proportionem Ecclesiæ, in quo sicut, & in omnibus alijs Altaribus Crux semper debet esse, nec sufficit Crux, quæ super tabernaculum figitur, nec quæ ab aliquo Angelo, vel Sancto, quasi trophæum tenetur.

Videat si bradella quatuor palmis cum dimidio lata sit, longa ad Altaris longitudinem

Si Altare gradum vnum ad minus habeat, supra quem candelabra sex ponantur in Altari maiori, in alijs duo; Altaria reliqua longa erunt nouem palmis cum quarto prædictæ mensuræ; alta quatuor palmis, aut quid parum magis.

Non

Non permittat Altaria lignea vacua nō vndiq. clauſa, ſubtus quibus quis poſsit ſe, ſeù alia abſcondere.

Perluſtret totam Eccleſiam, inſpiciat, an munda, & compoſita ſit, ſi fores Eccleſiæ fortes ſint, & temporibus debitis claudantur.

Inſpiciat ſi Capellæ claræ ſint, ſi loca recondita aliqua, vel obſcura, vbi quid latere poſsit, illa claudi faciat, aut decenter diſponat.

Viſitet attentè Confeſsionaria, ſi ſint patenti loco, ſi cancelli, ſeù crates per quas pœnitentes audiuntur apta, ſtricta, & honeſta ſint, & iubeat, vt ſedes Confeſſionarij aliquo modo claudantur; decet enim non communem eſſe ſedem tanti Sacramenti.

Obſeruet Sepulchra, an ordinatè ſint diſpoſita, ſi in proprio alicuius Sepulchro alieni ſine eius ſcitu ſepeliantur, & maximè ſi in Sepulchris noſtris alij ſepulti ſint, corpora extrahi iubeat, niſi fuerint Prælati Eccleſiaſtici, & prohibeat ne vllus, niſi in communi, aut in proprio Sepulchro, ſepeliatur.

Quærat, ſi ſit liber, in quo deſcribantur omnes, qui in Eccleſia noſtra ſepeliuntur; & ſi depoſita fiant, notetur locus, & capſa, in qua ſepeliuntur.

Deniq. totam Eccleſiam, & Chorum, Altaria, Picturas, Pauimentum, Fornicem, ſeù Contignationem, Feneſtras, & omnia, quæ

pro conseruatione Ecclesiæ, & cultu diuino necessaria censuerit, instaurare, & conseruare procuret, & si de nouo fabricanda sint, omni meliori modo disponat, notando omnia, quæ facienda duxerit. Sacristiam diligentissimè inspiciat, & consideret armaria, sacras vestes, mappas, linteamina, & omnem suppellectilem pro vsu diuini cultus, & ornatus, præcipuè calices, pixides; omnia quæque vetera, & consumpta renouari præcipiat, cuppas calicum, & patenas denuò deaurari si vsu exauratæ fuerint, lampades quomodo depositæ sint, & si accensæ conseruentur: aduertat maximè si Altarium palia, casulæ, pluuialia, albæ, & mappæ nostræ Constitutioni, & paupertati conformia sint; si lacera, & scissa sint, eis non vtantur, & refici ordinet; omnia enim integra, munda, & decentia ad cultum diuinum esse debent.

Requirat librum, vbi notata sint omnia suppellectilia Sacristiæ, & per se, vel per Socium certior fiat an omnia conseruentur, vel deperdita sint, vel consumpta, & notam faciat Visitator in ipso libro status dictorum mobilium. Præcipuè inquirat, si integrè satisfiat Missis, quæ dici debet quotidie, & singulis hebdomadibus, mensibus, vel annis, tam pro viuis, quam pro defunctis, videat, & legat tabulam, siuè album, vbi perpetuæ Missæ notatæ sint, & si à

tergo

tergo distinctè notentur dotationes singularum Missarum, quantum pro vnaquaq. eleemosina respondeat, super quæ bona, aut census, aut loca montium assignata sit eleemosina in hunc modum, videlicet, in fronte.

Monumentum Missarum, quæ celebrari debent in hac Ecclesia nostra Sancti N.

Pro anima Iulij N. missa vna quotidie (si fundauerit Capellam) dicatur in sua Capella, quæ est Sancti N.

Pro anima Annæ de N. qualibet hebdomada tres Missæ, videlicet feria N. feria N. & feria N.

Pro anima Ioannis de N. quolibet mense, vel quolibet anno Missæ.

A tergo verò in eadem Tabula.

Pro Missa quotidiana D. Iulij N. est assignata eleemosina ab ipso vel ab eius hærede in tot locis montium talis erectionis, vel census super domum talem, &c.

Pro tribus Missis D. Annę de N. assignata est eleemosina tot locorũ mõtium talis erectionis vel census super tale stabile; si Anniuersarium aliquod celebrandum erit, eodem modo notandum erit, & pro memoria conseruanda, & breui Visitatoris notitia habenda. Instrumenta verò authentica in arca trium clauium asseruanda erunt.

pro conseruatione Ecclesiæ, & cultu diuino necessaria censuerit, instaurare, & conseruare procuret, & si de nouo fabricanda sint, omni meliori modo disponat, notando omnia, quæ facienda duxerit. Sacristiam diligentissimè inspiciat, & consideret armaria, sacras vestes, mappas, linteamina, & omnem suppellectilem pro vsu diuini cultus, & ornatus, præcipuè calices, pixides; omnia quæque vetera, & consumpta renouari præcipiat, cuppas calicum, & patenas denuò deaurari si vsu exauratæ fuerint, lampades quomodo depositæ sint, & si accensæ conseruentur: aduertat maximè si Altarium palia, casulæ, pluuialia, albæ, & mappæ nostræ Constitutioni, & paupertati conformia sint; si lacera, & scissa sint, eis non vtantur, & refici ordinet; omnia enim integra, munda, & decentia ad cultum diuinum esse debent.

Requirat librum, vbi notata sint omnia suppellectilia Sacristiæ, & per se, vel per Socium certior fiat an omnia conseruentur, vel deperdita sint, vel consumpta, & notam faciat Visitator in ipso libro status dictorum mobilium. Præcipuè inquirat, si integrè satisfiat Missis, quæ dici debet quotidie, & singulis hebdomadibus, mensibus, vel annis, tam pro viuis, quam pro defunctis, videat, & legat tabulam, siuè album, vbi perpetuæ Missæ notatæ sint, & si à

tergo

tergo distinctè notentur dotationes singularum Missarum, quantum pro vnaquaq. eleemosina respondeat, super quæ bona, aut census, aut loca montium assignata sit eleemosina in hunc modum, videlicet, in fronte.

Monumentum Missarum, quæ celebrari debent in hac Ecclesia nostra Sancti N.

Pro anima Iulij N. missa vna quotidie (si fundauerit Capellam) dicatur in sua Capella, quæ est Sancti N.

Pro anima Annæ de N. qualibet hebdomada tres Missæ, videlicet feria N. feria N. & feria N.

Pro anima Ioannis de N. quolibet mense, vel quolibet anno Missæ.

A tergo verò in eadem Tabula.

Pro Missa quotidiana D. Iulij N. est assignata eleemosina ab ipso vel ab eius hærede in tot locis montium talis erectionis, vel census super domum talem, &c.

Pro tribus Missis D. Annę de N. assignata est eleemosina tot locorũ mõtium talis erectionis vel census super tale stabile; si Anniuersarium aliquod celebrandum erit, eodem modo notandum erit, & pro memoria conseruanda, & breui Visitatoris notitia habenda. Instrumenta verò authentica in arca trium clauium asseruanda erunt.

Visitet insuper Reliquias, testimoniaq. eorum, & receptionis authenticæ, & si veras esse non constiterit, prohibeat eas exponi, maximè in Altaribus, & multò minùs officium de ipsis fieri. Consideret, an in techis honestis integrè, & securè decenter seruentur.

Aduertat locũ, vbi est fons pro lotione manuum, & crepidæ ad celebrandum sumuntur, debere esse extrà, & propè Sacristiam, vel in parte aliquantum remota, vbi mappæ mundæ pro abstersione manuum antè, & post celebrationem appensæ sint.

Si Sacristia subtus vacua non sit, & pauimentum supra fornicem constructum, ordinet vt quamprimum fiat, si omninò fieri potest: si sit impossibile, pauimentum palmo vno à terra eleuetur, & inter pauimentum, & terram materia aliqua sicca ponatur, vel vacuum relinquatur.

## *De Visitatione bonorum, & reddituum Conuentus in communi.*

INspiciat si sit arca trium clauium, & tribus claudatur seris, & claues apud Priores, & Discretos cautè custodiantur.

Si ibi mittatur omnis pecunia, quæ quam-

cumq.

cumq. ob causam Conuentui obuenerit, si indè extrahatur iuxtà Constitutiones, & Procuratori numerata tradatur.

Si dati, & accepti computa fiant singulis Mensibus, examinet, & conferat computa, & attentè consideret, si expensæ sint nostræ paupertati conuenientes, & ad hoc inspiciat librum quotidianum expensarum tam pro victu, quam pro fabrica, & alijs rebus, notet in libro Visitationis introitum, & exitum ab vltima visitatione (& si fuerit Visitator generalis) videat etiam computa facta per Prouincialem in sua visitatione antecedenti.

Si instrumenta, & pacta, quæque ibi conseruantur, sint in vno libro simul ligata, & collecta, ne pereant.

Si debito aliquo, vel pluribus oppressum Conuentum inuenerit, curet, vel expensas moderari, & à fabrica (si aliqua fiat quæ excusari posit) abstinere, vel si plures Fratres ibi sint, quam necessarij, eos aliò mittere, vel alio modo debita solui curet.

Intelligat si in Conuentu asseruentur deposita aliqua pecuniarum, vel vtensilium sæcularium, & si sint personæ decoctæ, vulgò falliti, vel non volentes soluere, curet, vt è Conuentu pacificè remittantur, & præcipiat, ne in posterum recipiantur, nisi valdè rarò, & cum maxima cautela, & pertinentia ad personas

de Religione benemeritas, & tunc de consensu Capituli, nisi res sint parui momenti.

## SECTIO SEXTA.

POstquam omnes officinas, locaq. Monasterij perlustrauerit, & omnes Fratres examinauerit, conferat depositiones singulorum: ordinarias autem, & frequentiores transgressiones Regulæ, & Constitutionum, & à quibus perpetrantur, notet, disponatq. per ordinem in albo quæ vnicuiq. animaduertenda duxerit, notetq. pœnam, vel pœnitentiam debitam, quam ex Constitutione depromere curet.

Si duo minùs de aliquo culpã animaduersione dignam denunciauerint, alios interrogabit, & exactius de ea intelliget, vt de remedio efficaci prouideat.

Colligat se ipsum, & primum suas culpas, & subditorum recogitet, enixè oret pro illis, & pro se vt Dominus aperiat os eius, & linguam regat ad proferendum rectum sermonem, sanctum Deo placentem.

Exhortationem mediteтur, & disponat efficacem, & breuem ex Deo, coram Deo, & in Christo de obseruantia regulari, & ad eius perfectionem Fratres hortetur, & accendat.

Sum-

Summo mane, vel serò, antè, vel post Completorium signum ad Capitulum dare faciat.

Postquam omnes accesserunt, ipse Visitator accedat, & genuflexus aliquantulum oret, dictoq. *Hym.* Veni creator Spiritus, vt moris est, ℣. Emitte, &c. *Oratione* Deus qui corda fidelium, &c. surgit antè Altare Capituli ad Cornu Euangelij sedensquè suam incipiat exhortationem. Qua finita (incipiens à Fratribus Nouitijs, tam Choristis, quam Donatis, qui omnes simul cōuenientes in Capituli mediū ordinatè hinc indè facie ad faciem versi se prosternunt, & dato signo, erecto capite genuflexi remanent) Visitator eos de defectibus cōmunibus priùs, deindè de particularibus à maioribus incipiēs admoneat, & si quem defectū particularem in aliquo deprehenderit, aut frequētius communem cōmisisse, illum particulariter admoneat, & particularem pœnitentiam imponat, & dato signo omnes terram osculantur, surgunt, & genuflexi scapulare Visitatoris deosculantur, & à Capitulo exeunt.

Quod si non iudicauerit conueniens, vt ipsi Nouitij audiāt exhortationem, illos antè ipsam dimittat, vt suprà dictum est.

Post exhortationem, vel si Nouitij exhortationi interfuerint post Nouitios dimissos accedunt Donati profesi, & expediuntur, vt de Nouitijs dictum est.

Postmodum accedunt Fratres Choristæ, & expediüntur, vt suprà de Nouitijs, & Donatis professis dictum est.

Deindè Patres Sacerdotes non Capitulares, & Hospites, si qui vocati à Visitatore interuenerint, expediantur.

Demùm accedunt Patres Capitulares, sed priùs Prior, vel Vicarius canonicus genuflexus suam audit monitionem, stantibus interim omnibus Patribus propter reuerentiam sui Superioris, qua finita surgit, deosculatur Scapulare, & sedet suo loco.

Post illum accedunt Patres, bini, & bini, & eodem modo suas audiunt monitiones humiliter, & pœnitentias libenti animo recipiunt, quibus omnibus expeditis, Visitator si aliquas ordinationes, seù acta proferre voluerit, ea legenda tradat Secretario, vel Socio suo.

Posteà ad sonum Campanæ conueniunt omnes, & disciplinam recipientes, absolutionem accipiunt more solito, & Visitator Indulgentias solitas concedit.

Ac demùm ipse leniter confitens suam insufficientiam, & se dignum ab omnibus visitari, eos amplectetur cum magnis charitatis signis.

Si culpam in aliquo grauiorem, vel grauissimam, (quod Deus auertat) deprehenderit, pleniorem informationem facere debet, in pri-

mis

mis eosdem testes denunciantes denuò sub iuramento (medio Secretario, qui vices Notarij gerat) examinando, & ratificando, & alios ab ipsis nominatis adhibendo, & si contestes inuenerit, vel saltem vnum de visu, & alios vehementem suspicionem probantes, Reum ad se vocabit, & accepto ab ipso iuramento confessionem eius audiat, si confessus fuerit, eum ad audiendam sententiam citabit, & ipsi pœnam à Constitutione taxatam imponet.

Si autem non confessus fuerit, & vnus tantum testis contra ipsum deposuerit, defensiones eius audiat, & si non se plenè purgauerit, citato ad audiendam sententiam, ferat eam, & pœnam ei extraordinariam imponat mitiorem ordinaria arbitrio suo.

Si verò negauerit, & defensiones petierit, eas illi concedat, & testes ab ipso delatos sub iuramento examinabit, & tandem secundum allegata, & probata sententiam ferat.

Si ex delicto scandalum publicum exortum fuerit, coram omnibus Capituli Patribus sententiam ferat, sin minùs coram duobus Patribus illi benè affectis.

De his culpis, si fuerint, antè vel post Capitulum publicum agere, & examinare poterit Visitator; si pœna fuerit reseruata Definitorio, & ipse ab ipso Definitorio auctoritatem

non

non habeat facto iuridicè processu illum mittat ad Definitorium.

Per aliquot dies post Visitationem in Conuentu morabitur: prout ad Fratrum solatium in Domino arbitrabitur expedire, & singulos priuatim alloquetur, eorum spiritum examinabit, omnesq. in Domino solabitur; Quod si Visitator fuerit à Præposito Generali, vel Prouinciali missus scribat illi de ratione status, in quo reperit, & relinquit Conuentum.

Visitator Generalis conueniat cum Prouinciali, vt in vltimo, vel saltem in aliquo ex vltimis Conuentibus visitandis simul adsint, vt ibi eum monere possit de ijs, quę pro Prouincię promouendo bono, vel malis arcendis monēda iudicauerit, & similiter ipsius culpas, si quæ fuerint, ad subditorum ædificationem coram Patribus Capitularibus, antè Priorem tamen, media charitate corripiat. Si verò aliqua culpa non omnibus nota in eo inueniatur, non publicè, sed priuatim coram illis, qui magis ei afficiuntur, corripiat.

Præpositus Generalis, & quilibet alius Visitator, cum Monasteria studiorum visitabunt, de studentium progressu periculum faciant, & ob ingenij tarditatem, aut culpis improbatos à scholis amouebunt; aduertant tamen, quod ob ingenij tarditatem non facilè amoueant bonis moribus præditos, obseruantes,

& vir-

& virtuosos Religiosos, benè quidem, & sine vlla dispensatione inobseruantes, & imperfectos, licet aliàs ingenio polleant, quippè qui sine virtute maximum inferre possunt damnum Religioni. Explorabunt, an circà doctrinam quæ in Secunda Parte nostrarum Constitutionum ordinata sunt obseruent, omnemq. eius generis culpam seuerè puniant, nouitatumq. amatores à Scholis arcebunt.

## SECTIO SEPTIMA.

Visitator Monialium ex ijs, quæ dictæ sunt seliget ea, quæ pro illis necessaria videbuntur.

Et præterea videbit, an clausura sit vndiq. sufficiens, non solum quoad exitum, sed etiam quo ad prospectus, scrutabiturq. Portam regularem, an habeat duas seras, quarum claues apud Priorissam, & Ostiariam seruabuntur.

An porta aperiatur, sicut oportet, à duabus, quando aperienda est.

Rotas Sacristiæ, & Portariæ intùs, & foris benè prospiciet, an fixuras, vel foramina habeant, vndè videri, vel videre posśint Moniales, aut verò manus hinc indè mitti posśint.

Idemq. & in Confesśionarijs diligenter inspiciet.

Fenestellam, qua Monialibus venerabile

Sacra-

Sacramentum ministratur, visitabit, ac videbit si decenter, ac reuerenter teneatur.

Et sciat, an aliquando ibi confessiones audiantur.

An aliqua de causa aliquando ibi loqui permittatur, & si quid in hac parte inuenerit strictè prohibeat, & defectus, si quos in hoc inuenerit, acriter corripiat.

Sciat si Moniales nimium Confessarios detineant, si Confessarij eas in orationis, & mortificationis spiritu, & inobseruantia promoueant, & si ad Rotas cum Capellanis, aut Factoribus, aut Ancillis, quas foris habent, nimium commorentur.

Sciat an Priorissa, quando propter infirmitatem carnibus vescitur, ijs vescatur in mensa infirmarum, an verò in mensa transuersali, & in suo proprio loco, & ordinet in hoc obseruari quod apud nostros Religiosos obseruatur.

Exhortationem tam in principio, quam in fine Visitationis ad crates faciat, primæ verò assistat Socius, qui legat præceptum, secundæ nullus adsit, nisi Visitator caleat linguam Patriæ, & cogatur habere interpretem.

Moneat, & si opus fuerit præcipiat post Visitationem tam Fratrum, quam Monialium, vt nemo loquatur de ijs, quæ dicta sunt in Visitatione, sed vnusquisque cogitet de emendatione culparum sibi impositarum.

In-

351

## Instructio ad faciendas informationes iuridicas in causis Criminalibus Religiosorum.

DVabus vijs proceditur in Religionibus ad faciendas informationes in causis criminalibus.

Prima via, ex officio si est Prior, aut Vicarius alicuius Conuentus, in quo commissum fuit aliquod graue delictũ, tunc enim cõpetit Prioribus, seu Vicarijs facere informationes, si ad eorum iurisdictionem pertineat delictum, sicut etiam in causis vrgentibus, & vbi periculum esset in mora, tanquam Generalis, vel Prouincialis delegati possunt conficere processum, & de consilio Discretorum Conuentus ad custodiam, vbi fuga timetur in carcerem detrudere, & deindè Superiorem, ad quem pertinet, certiorem facere: si autem non sit periculum in mora, nec timeatur aliquod graue inconueniens, nec ad eorum iurisdictionem pertineat delictum, monebunt Superiorem, ad quem pertinet, vt ipse disponat quid faciendum sit.

Secunda via ponitur inferiùs.

De

## *De initio Processus.*

IN casu prædicto incipit Superior, ad quem spectat, processum exponēdo id, quod commissum fuit, quo in loco, quo die, mense, & anno, & concludat dicendo, quod cum ex eo ortum sit scandalum, vt procedatur secundum ordinem iustitiæ, præcipit in virtute Spiritus sancti & sanctæ Obedientiæ, & sub præcepto vnicuiq. Religioso prædicti Conuentus, cui tale præceptum notificabitur, vt cum iuramento dicat quod scit circa ea, de quibus interrogabitur coram ipso, & coram P. N. quem nominat Secretarium in tali causa, in quorum fidem subscripsit hæc suo nomine, & sigillo officij sui muniuit, & sic subscribant.

Tunc formabit interrogatorium, incipiens à cognitione ipsius Rei, & an testem afficiant exceptiones generales, deindè per reliqua interrogatoria disponet casum cum suis circumstantijs, & scandalum, petatq. in singulis interrogatorijs, vt dicat testis, quod nouerit, & quomodo nouerit: ad interrogatoria autem, quibus poterunt testes respondere, an sit publicum, & notorium id, quod deponunt, petatur id ab eis, & ipsi dicant quod scient.

Aduertat autem informationem capiens, se non posse vllo modo interrogare de vlla re particu-

ticulari, de qua reus non sit infamatus, vel præcesserit insinuatio clamorosa extrà eos casus, qui directè tendunt in damnum notabile boni communis, in quibus ad faciendas informationes non est necesse, quod præcesserit infamia, neque prædicta insinuatio.

Infamia intelligitur tunc esse, quoties sparsus est rumor legitimus de delicto apud viros honestos, & bonos, qui verò similiter illius notitiam habere possunt. Insinuatio clamorosa est, quando delictum frequenter Iudici, aut Prælato denunciatum est à multis extrà iudicialiter.

Formatis interrogatorijs, & à Iudice subscriptis ad ipsorum calcem Secretarius scribet acceptationem sui officij, & se perfecturum munus suum meliori modo, quo poterit, & statim procedatur ad examen testium, sicut mox dicetur.

Hæc est prima via, qua proceditur ex officio ad faciendas informationes iuridicas.

Secunda via est, ex commissione Superioris, in qua valdè consideranda sunt ea, ad quæ tantummodo se extendit, & an aliquod præceptum notificandum in ea feratur, an habeat interrogatoria disposita, secundum quæ procedẽdum est in examine, vel si ipsorum dispositio ad eum remittatur, cui facta est talis commissio: an commissio data sit tantum ad examinandos

nandos

nandos testes, an etiam ad examinandum Reum, & exigendam eius confessionem, & exhibendos illi articulos, & admittendas eius defensiones, vt ita Commissarius neque minus, neque plus agat, quam data commisio requirit. Hæc commisio modo, quo venerit, ponenda est in initio processus, ad cuius calcem, vel si in ea disposita sint interrogatoria, ad calcem ipsorum scribat Commissarius (notando diem, mensem, & annum) se acceptare talem commisionem, & ea vsurum secundum ius, & nominet Secretarium in tali causa (nisi fortè in eadem cõmisione nominetur) & proprium nomen subscribat. Secretarius verò scribet, se acceptare tale munus (sicut supra dictum est) & acceptationem proprio nomine subscribet, & ita ad examen testium procedatur.

## *De examine Testium.*

TEstes examinandi sunt singuli seorsim notificando eis præceptum Superioris ordinarij, vel delegati, & accepto ab eis iuramento (aduertendo tamen, quod in causis criminalibus, de quibus hic agitur, non est recipiendum iuramentum, neque sunt examinandi testes diebus Dominicis, & Festiuis) scribet igitur Secretarius in hac forma.

Die N. Mense N. Anno N. vocatus fuit in

testem

testem præsentis informationis. N. Religiosus professus nostrę Congregationis, qui, cum ei notificatum esset præceptum suprapositum, iurauit in verbo Sacerdotis ( si fuerit Sacerdos ) tacto pectore, vel ( si non fuerit Sacerdos) iurauit Deo manu supra Crucem posita, se dicturum veritatem circà ea, de quibus interrogabitur, & examinatus iuxtà interrogatoria, dixit, ac respondit quæ sequuntur.

Ad primum interrogatorium dixit, se cognoscere N. prædictum à tanto tempore, in tali loco, in quo cum illo conuixit, aut conuersatus est familiariter, vel propter aliam causam, & quod non afficitur aliqua ex exceptionibus generalibus, scilicet, quod non est consanguineus, amicus, vel inimicus Rei, non mente captus, non infamis, nec vnquam fuisse periurum, nec vllum defectum habere canonicum.

Ad secundum interrogatorium dixit Testis, quod ipse scit circà illud esse hoc, & hoc, quod scit, quia vidit, aut audiuit communiter, & publicè, & in particulari ab N. & N. semper autem necessarium est, vt Testis dicat causam scientiæ, & si est Testis ex auditu, debet nominare à quo, vel à quibus audiuit, vt ita notum sit quantam fidem faciat, & constet, an fama originem habuerit à viris honestis, & fide dignis.

Circà interrogatoria verò, ad quæ negati-

uè respondetur ,videlicet , an sciat N. Apost-
tam, ex quo discessit è Conuentu,aliquando
præsentasse Religioni , &c. non sufficit Teste
respondere se nescire , non enim facit fidem
quod asseritur ignorari , sed quod scitur ;
ideò debet respondere affirmatiuè , scilicet ,
scire, nunquam, N. se præsentasse, & causam
scientiæ dicere , quia videlicet , si se præse-
tasset , benè sciret, sicut similia , cum accidun
statim sciuntur , &c. vel saltem, si negatiuè re-
spondet, se nescire , an N. se præsentauerit
addat, se nihilominus certò credere , quod N
non se præsentauerit, nec comparuerit , quia
se præsentasset , omninò sciuisset propter han
vel illam causam . Modus autem iste respon-
dendi æquiualet affirmationi, & suauior est ip
Testi , cum pauci sint , qui ad similes interro-
gationes possint affirmatiuè, & absolutè re-
spondere .

Ad vltimum interrogatorium dixit ea, qu
deposuit publica esse, & notoria ( si ita sint
publica voce , & fama in prædicto Conuentu
& hæc vera esse , seq. nouisse asserit cum iu
ramento , quod præstitit, cum ei lecta fuisse
omnia, quæ deposuit , & ratificauit , dixitq.
esse ætatis tot annorum , propriumq. nome
subscripsit : & ideò , antequam ista subscriban
tur, oportet , vt ipsi prius lecta sit eius depo-
tio , & eam ratificauerit . Ad calcem cuiu

cumq.

cumq. testimonij subscribere debet proprium nomen Iudex, Secretarius, & Testis, qui si nesciat scribere, pingat Crucem in hac forma ✠, & alius subscribat pro ipso nomen suum proprium, non verò nomen Testis.

## De Confessione Rei.

SEcretarius coram Iudice notificabit Reo præceptum, quod afferet scriptum, & subscriptum, in quo Iudex illi præcipit, vt sub iuramento respondeat, & dicat veritatem clarè, & sincerè circà ea omnia, de quibus interrogabitur, postquam verò ab eo receptum est iuramentum, ipse Iudex faciet interrogationes ordinarias, videlicet, quomodo vocetur? vndè sit? an sit professus? in quo Conuentu? à quo tempore? quare sit reclusus? &c. deindè cum distinctione, & sigillatim interrogabit de ijs, quæ in informationibus plenariè probata sunt, & etiam de ijs, quæ in eisdem semiplenè sunt probata, quod continget, quando de ijs, de quibus Reus laborat infamia, erit Testis aliquis omni exceptione maior, qui deponat de visu, & ex certa scientia; immò quamuis de his non habeat semiplenam probationem, sufficit ad hoc, vt possit interrogare, quod Reus de illis sit infamatus, vel indiciatus, dummodo infamia, vel indicia sufficientia sint plena-

riè probata per duos Testes omni exceptione maiores; ita vt quamuis ad inquirendum specialiter, & Testes examinandos, an Petrus v.g. commiserit tale delictum, sufficiat, præcessisse infamiam, aut clamorosam insinuationem, etiam si non fuerint ista probata, quia fama præuenit, & præcedit iudicium, & gerit vicem accusatoris; nihilominùs ad interrogandum Reum necesse est, vt infamia, vel clamorosa insinuatio probata sit, & vt ipsi Reo notificetur probatam esse, aliàs non tenetur respondere, sicut etiam non obligatur ad respondendum, quando contra ipsum nihil est aliud, quàm accusatio; semper tamen excipimus ab hac regula ea delicta, quæ directè tendunt in damnum notabile Communitatis.

Si Reus in suis responsionibus dicat aliquam propositionem in vniuersali v. g. quod habuerit tales occasiones, quando fecit tale delictum, vt quemlibet inducerent ad similes, vel maiores excessus perpetrandos, non sic in vniuersali indiscussa, & inexaminata ista relinquat, sed interroget, quænam fuerint istæ occasiones? quis nam fuit illarum auctor? quis nouit? an ipse prior extiterit illarum causa? quæ non priùs præcesserant? deniq. Iudex curabit, vt Reus respondeat cum omnimoda distinctione, & claritate, & ex ipsiusmet responsionibus resumere debet occasionem

iterum

iterum interrogandi, vt ita, quantum fieri potest, veritas elucescat. 355

## *De modo exhibendi articulos Reo, & admittendi ipsius defensiones.*

PRimò Iudex imponet Reo præceptum subscriptum, in quo præcipiat, vt respondeat articulis, quos illi exhibebit, & vt dicat quæcumq. ipsi occurrerint in sui defensionem, assignando tempus ad hoc sufficiens (quod cōmuniter erit vigintiquatuor horarum) Quod si Reus renunciauerit suis defensionibus, scribatur, datas ei fuisse, sed renunciasse.

## *Articuli scribentur ad calcem præcepti prædicti hoc ordine.*

DEponitur contra N. quod scandalum dederit in tali loco committendo tale delictum, &c.

Item quod hoc, vel illud fecerit, &c. eo modo, quo fuerit: dispositos, & scriptos articulos subscribet Iudex, & Secretarius, & dabunt Reo, notificando ipsi præceptum.

Poterunt in articulis poni ea omnia, de quibus in confessione poterat Reus interrogari, & ea, quæ de nouo ipsemet in sua confessione

confessus fuerit, si de ijs laboret infamia, etiamsi infamia probata non sit, non enim sit ipsi iniuria, qui sic spontè confessus est. Si tamen infamia non præcessit, etiamsi Reus fateatur aliquid graue, non potest poni in articulis contra ipsum, sicut etiam neque poni possunt ea delicta, quæ iam punita fuerunt, cum Deus non puniat bis eamdem culpam; nihilominùs ad probandã Rei incorrigibilitatem per modum multiplicationis benè quidèm poterũt poni prædicta delicta in articulis contra illum dicendo. Item contra N. deponitur, quod cum toties punitus fuerit propter tale, vel tale delictum, non se emendauit, sed iterum nunc reincidit, &c. Deindè, cum Reus iam responderit articulis contra ipsum exhibitis, Secretarius ad calcem suæ responsionis scribet quæ sequuntur, videlicet; Hæc sunt, quæ adducit N. in sui defensionem, & interrogatus, si quid aliud haberet, quod diceret, vel adduceret in sui defensionem, respondit, se nihil aliud habere, & quantum ad ipsum attinet, habet causam, vt conclusam, & proprio nomine subscripsit die, mense, & anno, &c. & subscribet Reus, Iudex, & Secretarius, qui scribet immediatè post subscriptiones, quæ sequuntur, videlicet. Et statim N. Iudex causam, vt conclusam habuit vsquè ad sententiam definitiuam exclusiuè. Cum manus suum, & commissio-

missionem acceptam compleuerit, & ita remittit totam causam Superiori N. vt ipsum iudicet, & sententiet. Et subscribat Iudex, & Secretarius.

## De Notificatione Sententiæ.

SI Superior commiserit ipsi Iudici notificationem sententiæ Reo faciendam, Secretarius coram eodem Iudice, & duobus Testibus notificabit Reo sententiam, scribendo ei notificatam à se fuisse coram prædictis Iudice, & Testibus, & simul scribet quicquid ipse Reus responderit, notando diem, mensem, & annum, & omnes prædicti quinque subscribant, scilicet Iudex, Reus, Testes, & Secretarius, & ita autenticatam ad ipsiusmet calcem, remittet ad Superiorem, vt incorporetur in processu, &c.

## *Instructio pro receptione Nouitiorum, & pro informatione ipsorum capienda.*

MAndauit Deus, vt in illo mystico templi ædificio extruendo singularem animi

cautelam adhiberent Operarij, præcipiens, ne in eius fabricæ constructione quibuslibet vterentur lapidibus, verum quadratis, & planis, quia cum vndiq. sint accommodatitij, longè meliùs sibi inuicem connectuntur, ædificioq. non diuturnitatem modo, sed ornatum conferunt: quod quidem documento in primis esse potest illis, qui mystico Religionis ædificio incumbunt, atque ijs maximè, qui in Nouitijs eligendis, & ad hanc, vel illam instituti normam admittendis præsunt, quandoquidem exactè obseruare debent, dum lapides mysticos seligunt, quosnam in fabrica Religiosa adhibeant explorantes, nec ex quouis genere sint, aut quamcumq. indolem præseferant eiusmodi lapides, sed quadri, hoc est peridonei, vt in singulis coaptentur instituto, quod profiteri debent. Etenim si ad præfatam obseruantiam habilitate requisita caruerint, nunquam mystico ædificio vtiliter adaptari poterunt, ex quo fiet, vt perturbetur fabricæ ordo, & subindè ædificij moles collabatur.

Quarè qui Nouitios ad Religionem, præsertìm reformatam, recipiunt, & qui eos examinant, ad aliquos cõuenienter seligendos, aliosq. minùs idoneos libertate quadam spirituali renuendos, maturè procedent, tribus potissimùm exploratis ad perseuerantiam, bonum regimen, & Religiosorum pacem; videlicet,

voca-

vocatione, naturali indole, & corporis viribus,ac valetudine, ne ſi quid ex prædictis in Nouitio defuerit, relaxationi aditus fiat, quãdocumq. enim aliùs fuerit Religioſi finis, quam Deo Opt. Max. enixè deſeruiendi, ſi peruenire ad illum non poſsit, neceſſe eſt, vt ſe ipſum inquietet, & alios perturbet: qui naturam docilem, & inſtituto noſtro congruentem non habet, difficulter eidem inſtituto poterit adaptari: cumque in Nouitiatu occaſiones parui momenti tantũmodo occurrunt prædominantes intus paſsiones, naturamq. incultam celat; at vbi profeſsionem emiſit foras erumpente natura, celatas indicat paſsiones, dum mortificationi locus non adeò facilis relinquitur. Pari ratione qui corpore ita eſt imbecillo, vt pro auſteriori diſciplina vires ei minimè ſuppetant, eam remittere, & ſuæ debilitati accommodare contendit cum incredibili Religionis detrimento.

Horum incommodorum remedium maxima ex parte pendet ab illis, qui petentium habitum vocationes examinant,& informationes pertractant,tam in his,quæ ad natales attinẽt, quam quoad mores,plurimumq. refert,vt prudentia præſtent, ne in his rebus, quas gerunt, propter innatum Religionis ad augendæ ſtudium paſſim deficiant, & in grauia inconuenientia impingant,quę facilè ab eo præuenientur

tur

tur, qui tàm in informationis initio, quàm in eiusdem profequtione, quæ infrà dicenda sunt maturiùs animaduertet.

Vt igitur ea euitentur inconuenientia, ordinamus, vt in Capitulis, & Definitorijs Prouincialibus Domus Nouitiatus designetur concurrentibus circumstantijs, quas Constitutiones nostrę parte 2.cap.3.obseruari præcipiunt, & in nullo Conuētu, præterquàm Nouitiatus, educentur Nouitij, nisi graui casu vrgente, & super hoc Capitulum Prouinciale veniam dabit iuxta nostras Constitutiones part. 2.c. 3. num 8. sed nec induantur, præterquàm in aliquo euentu satis rarò, in quo ex licentia expressa R. P. Prouincialis aliquis indui poterit extra præfatas Domus Nouitiatus, & postquàm indutus fuerit, quàm primùm mittatur ad locum Nouitiatus.

PP. Prouinciales in Nouitiatuum Conuentibus, & alijs vbi approbandi, & Nouitios admittendi veniam delegabunt, præsertim in illis, vbi crebræ sunt vocationes, Religiosum Confessarium prudentem, spiritualem, doctum, affabilem de consilio Prioris prouideant, cui vocationes tractandi, eosq. promouendi, quos vitæ Religiosæ idoneos in Domino iudicabit, ac sæculariū Oratorij, si in illis Conuentibus fuerit, curam P.Prior possit demandare. Similiter Ianitorem spiritualem, discretum, ædifica-

ca-

 
catiuum, & sæcularibus, qui ad Conuentum accedunt, pertractandis idoneum, quod si in aliquo vitæ Religiosæ desiderium, vel propensionem animaduertat, de Superioris Domus nutu, ad præfatum Patrem dirigat.

Præterea PP. Prouincialibus commendamus obseruantiam nostræ Constitutionis 2. par. cap. 5. num. 8. vbi præcipitur, vt nullus habitu nostro induatur, nisi priùs à Prouinciali videatur, examinetur, & approbetur; poterit tamen Prouincialis rarò alteri committere, adhibendo in hoc singularem diligentiam, velut in re tanti momenti.

Priorum etiam conscientiam oneramus, vt antequam fiant informationes, legant, vel legi faciant omnibus ingressuris num. 1. 2. & 3. cap. 5. 2. Par. nostrarum Constitutionum, & Fratribus Donatis præter dictos numeros etiã legatur vulgari sermone cap. 4. eiusdem partis.

Antequam introducantur in Conuentum Nouitij, vt ad habitum suscipiendum approbentur, examinentur, quoad scientiam, valetudinem, & alia, quæ antè experimentum, quod Domi posteà fieri debet, sciri possunt, fiatq. informatio plenaria iuxta Cõstitutiones Apostolicas, & nostras, cuius methodus post pauca subijcietur; & tàm persona, quàm informatio ipsa Monasterij Capitulo, vbi de vocatione

ege-

egerit,proponatur; & per suffragia secreta approbetur,vel reprobetur,de quibus Monasterij Nouitiatus Patres fiant certiores, si in alio id contigerit; tamen si in aliquo casu iuxtà de causa prudenter metueretur aliquot impedimenta dilatione euenire posse, aut de vocatione periclitari aliquem,P.Prior, aut Vicarius(si à Prouinciali expressam licentiã prehabuerint, cui Prouinciali, nisi in aliquo casu aliter iudicarit, mandamus, vt similem licentiam non concedat, nisi illos obligando, vt de consensu Magistri Nouitiorum, & Patris, qui est destinatus ad informationem peragendam pro Nouitijs hoc faciant) poterunt acceptare, & Nouitium induere, absque eo, quod plenaria informatio præcedat, sed loco informationis, præsentibus PP. Priore, vel Vicario, & duobus supradictis Patribus præfatus Nouitius iurabit, se nullum habere impedimentum à Sixto V. in Bulla appositum,videlicet,facinorosum non esse, nullaq. homicidia,furta,latrocinia,& id genus alia, nec grauiora crimina vnquam commisisse,nec pro eis infamatum, inquisitum, carceratum, in Iudicio damnatum, vel punitum fuisse, non suprà vires ære alieno grauatum, neque reddendis rationibus obnoxium,postremò Religionẽ ingredi spontè, zelo deuotionis accensum, non aliqua humana ratione ductum, solum de his iurabit, & monebitur

bitur antè professionis tempus plenariam informationem esse faciendam, cùm rerum præscriptarum, quas iuramento confirmauit, tùm cæterarum, cùm quibus nostrę Constitutiones prohibent, ne induatur aliquis, & professio fit irrita, quę omnia, vt in interrogatorijs inferiùs apponuntur, & ei tunc legi ordinamus, & monebitur, quod si contingat, vt in eò eiusmodi reperiantur defectus, vel impedimenta, sacro nostro habitu spoliabitur; & etiam, si esset professus, expelletur, si impedimenta, vel defectus erunt ex inualidantibus Professionem.

Concedit Bulla Sixti V. vt illi, quorum patria sit remota, aut oppressa ab Hæreticis, vel Infidelibus, possint admitti ad professionem, sine exacta informatione; in eiusmodi casibus P. Prouincialis, & P. Prior Nouitiatus, quorum conscientiam in hoc admodum oneramus, cum omni diligentia informationem fieri curent super Nouitio, antequam profiteatur, & si haberi non potuerit prædicta informatio, P. Prouincialis poterit concedere licentiam, vt profiteatur cum informatione, quæ haberi potuit, & cum iuramento Nouitij eo modo, quo suprà dictum est in præcedenti casu, monendo ipsum Nouitiũ de his omnibus, de quibus in eodẽ prçcedenti casu Nouitios admonendos esse decernitur, de quibus omnibus P. Prior Nouitiatus monebit Patres Capitulares eiusdẽ Conuentus.

Cum

Cum aliquis alteriùs Religionis obtenta dispensatione ad nostram se transferre voluerit, non erit necesse fieri plenam, & exactam informationem per Testium depositionem, sed sufficiet, quod exibitis illi in aliquo folio, & lectis impedimentis, & defectibus, qui sunt in interrogatorijs infra ponendis, iuret, se nullum ex illis habere, coram duobus Religiosis à Superiore Conuentus designatis, & in eodem folio subscribat nomen, & iuramentum ipsius, tàm ipse qui iurauit, quàm illi, coram quibus iurauit, & similiter moneatur de ijs omnibus, de quibus superiùs dictum est, ingressuros esse monendos, iuxta nostras Constitutiones.

## *Methodus faciendi informationem.*

INformatio, quam plenariam vocant semper susceptionem habitus, vel professionẽ necessariò præibit, & ab eo fieri debet, qui authoritatem habeat, nempè à Reu. Adm. P. nostro Generali, vel Prouinciali, vel Nouitiatus Monasterij Prælato, quam sibi habent ordinariam ex breui Clem. VIII. Religioni nostræ Carmelitarum Discalceatorum concesso, vt habetur in Compendio Priuilegiorum nostri Ordinis fol. 70. potest etiam, & vi eiusmodi Breuis fieri talis informatio ab aliquo, cui delegata fuerit authoritas ab vno ex tribus prædictis, & quoniam

niam vsu multa comperiuntur P. Prouincialis in Nouitiatus Conuentu, vel in alio, qui habuerit licentiam approbandi ad habitum, Religiosum deputabit, cui incumbet informationē facere, quotiescumque à Superiore Domus ei fuerit demandatum, datis ad hoc literis Patentibus, cuius forma infrà describetur. Hic Religiosus cum Secretario seu Notario deputando à Superiore Conuentus, examinabit duos, vel tres Testes honestos debitæ ætatis, & omni exceptione maiores, scilicet, qui nō habeant aliquē ex defectibus sequentibus, nempè, ne sit minor ætate quindecim annorum; ne sit infamis, vel ipsius, de quo deponit, inimicus, aut consanguineus, ne aliquando in iudicio falsum iurauerit, vel deposuerit, ne sit persona vilis, & pauper, ita vt pecunia potuerit subornari; qui defectus ideò hic ponuntur, non ad hoc, vt Testi legantur, vel super illis interrogetur, sed tantum, vt erudiatur ille, qui informationem facit, & si de aliquo ex his defectibus dubitet, prudenter de illo interroget. Dabit autem operam, quatenùs fieri potest, nisi aliquod oriatur impedimentum, ne Testes deducantur, aut suggerantur ab eo, pro quo testimoniū exhibebūt. Singulos seorsim examinabit dato ipsis iuramento, antequam incipiat examinare, monendo modestè, quod hoc ideò fit, vt obseruentur

Bullę

Bullæ Pontificiæ, & antè omnia Secretarius informationis principium extendet in hunc modum in folio, in quo Testes se subscribent.

In Ciuitate, aut loco N. tali Anno N. tali Mense N. Pr. Fr. N. Religiosus Carmelita Discalceatus Beatissimæ Virginis Mariæ de Mõte Carmelo huius nostri Monasterij N. authoritate sibi à Reu. P. N. Prouinciali, vel Priore concessa (si delegatam habuerit) in virtute cõmissionis datę tali die N. Mense N. Anno N. se ipsum obtulit ad præstandum fideliter, & legaliter munus suum, & ad illud complendum accersiuit coram me Secretario ad hoc deputato N. ex tali loco N. in præsentis informationis Testẽ, qui manu super Crucem posita iurauit Deo promittens, se dicturum veritatem in ijs, de quibus interrogabitur à prædicto Patre N. solo Iustitiæ zelo, & examinatus per interrogatoria infrascripta respondit, vt sequitur.

Hoc principium adhibetur tantũmodo in depositione primi Testis, pro alijs dicere sufficiet, In eadem, tali die eiusdem, vel talis mensis, & anni. P. Fr. supradictus N. accersiuit N. ex tali loco N. vt supra. In ijs, quæ respõdebunt Testes, aperiant, quomodo sciũt, vtrum familiaritate, & consuetudine, aut publica illius Regionis, vel loci voce, ac fama, & ita

 361

& ita terminetur singulorum Testium depositio cum eiusdẽ ratificatione; nempè quòd ipse testatur vera esse sub iuramento à se præstito ea, quæ deposuit, & cũ illi lecta fuissent, etiã rata habuit, & confirmauit appositione proprij nominis, subscribet etiam is, qui informationẽ capit, & eius Secretarius, quod si Testis scribere nesciat, faciat Crucẽ ✠ loco subscriptionis, & qui informationem accipit, vocet aliquem, qui scribere nouerit, quiq. proprium nomen subscribat, non verò Testis, & addat quòd Testis rata habuit, & quia scribere nesciebat Crucem posuit similem huic ✠ & rogauit se N. vt pro ipso subscriberet, quod, eo rogante, fecit, & subscribat tàm qui vocatus fuit, quàm qui informationem sumit, & Secretarius.

Quidam interrogatorium Testi legunt, & responsum suggerunt, illud extendentes, qui modus probationem minuit, quare non est admittendus, sed Secretarius scribet, prout Testis deponit ijsdem verbis, aut si opus fuerit, quia scilicet Testis nescit se explicare, qui informationem capit, variabit stilum depositionis vnius Testis ab alio, ne videatur responsum compositum ab ipso.

## Interrogatoria.

AN cognoſcat N. filium N. & N. oriundũ ex tali loco N. an cognouerit ipſius Parentes, à quo tempore, & quomodo ipſum cognoſcat, & an fuerit natus ex legitimo matrimonio, & pro tali habitus à prædictis N. & N. eius Parentibus.

An ſciat, prædictum N. eſſe bonis, & honeſtis moribus præditum, non facinoroſum, nullaq. homicidia, furta, latrocinia, & id genus alia, nec his grauiora crimina vnquam commiſiſſe, nec pro eis infamatum, inquiſitum, carceratum, in iudicio damnatum, vel punitum fuiſſe, aut timeatur poſſe carcerari, damnari, puniri.

An ſciat, prædictũ N. eſſe obnoxium reddendis rationibus, propter quas rationabiliter timeatur poſſe in iudicium vocari, aut alio modo vexari, nec ſuprà vires ære alieno grauatum eſſe.

An ſciat, Parentes præfati N, adeò pauperes eſſe, aut probabiliter credatur fore, vt indigeant, vel indigere poſſint opera, & auxilio dicti N. pro ipſorum ſubſtentatione, & an ſciat eoſdem parentes aliqua notari infamia.

An ſciat, dictum N. fuiſſe Hæreticum, Schiſmaticum, Iudæum, Infidelem, vel ab illis vſque

ad

ad tertium gradum descendere inclusiuè, aut Hæresis, Schismatis, aut cuiusuis infidelitatis suspicione laborare.

An sciat, dictum N. esse irretitum aliqua irregularitate, in qua difficilè dispensatur, mancipium, coniugatum, habitu alterius Religionis indutum Nouitium, alterius Religionis professum, aut Eremitam, Monachorum veste vsum.

An sciat, prædictum N. morbo aliquo contagioso, caduco, incurabili, vel habituali, aut alio quolibet communes Congregationis labores non ferente, laborare, mēbro aliquo, aut eius vsu carere, vel esse capite nimium debilem, aut mente captum, vel per interualla capi solitum, aut magna aliqua deformitate notari.

An sciat, prædictum N. Religionem ingredi non humana aliqua ratione ductum, sed solo animo Deo seruiendi, & suæ salutis desiderio.

Si cum eo, qui induendus est in aliquo ex præfatis impedimentis dispensatum fuerit à nostris Superioribus, super eo Testes interrogari non debent.

Si fuerit necessarium, aliquam informationem facere extrà locum, vbi Nouitius induitur, Reu. Adm. P. N. Generalis, vel Prouincialis, vel Prior Nouitiatus committent alicui Religioso ex Conuentu, vbi fieri debebit,

quem Prior illius Conuentus designauerit; cui Patri Priori ordinamus, & mandamus, vt propter mutuam inter Conuentus, & Prouincias charitatem designet Religiosum sui Conuentus prudentia, virtute, & experientia præditum, & in fine litterarum patentium prædictam commissionem continentium, quam ipsi mittet P. Prior Nouitiatus, scribat, notando diem, mensem, & annum, quatenus in virtute eiusmodi litterarum nominat Patrem N. ad hoc, vt prædictam informationem faciat, & subscribat proprio nomine, præcipiatq. vt ad talem locum se cōferat, & vt fideliter exequatur id, quod sibi est iniunctum, detq. tales litteras illi Religioso, qui est profecturus, prouidendo illi necessaria pro itinere. Quod si in loco, vbi facienda erit informatio, Conuentus non extiterit, vel procul absfuerit; vnus ex tribus, qui ordinariam habent authoritatem ad illam faciendam, committet prædictam informationem Vicario Reuerendiss. loci Ordinarij, vel alteri, quem idoneum iudicabit, qui iuxtà prædictam instructionem eam informationem peraget.

For-

## Forma litterarum Patentium ad informationem faciendam.

FR. N. Prouincialis Prouinciæ N. Ex priuilegio concesso Religioni nostræ Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo per Clem. VIII. Romæ 13. Nouemb. anno 1600. Pōtificatus sui nono, quod non tantùm Reu. Adm. P.N. Generalis, sed etiam Prouinciales, & Priores Conuentuum Nouitiatus possint alijs demandare, vt faciant informationem pro induendis Nouitijs, Committimus P.N. Religioso Sacerdoti Conuentus N. vt informationem capiat eorum, qui in eodem Conuentu debuerint approbari ad habitum, & examinet duos, vel tres Testes iuxtà interrogatoria à Definitorio generali nostræ Congregationis ad talem effectum approbata dato ipsis iuramento. In quorum fidem præsentes dedimus à nobis subscriptas, & officij nostri sigillo munitas. Dat. in Conuentu N. die N. Mense N anno N.

Si committenda sit informatio Religioso alterius Conuentus, eadem forma vtetur, mutatis, quę sequuntur.

Fr. N. Prior Conuentus N. Ex priuilegio, &c. committo cuilibet Religioso Conuentus N. à P. Priore designando, vt faciat informationem N. filij N. oriundi ex loco N. qui ad habitum

nostrum admitti petit, & examinet, &c. vt suprà.

## *Instructio Prioris.*

REgulas Magistri Nouitiorum sibi datas esse intelligat, cum, & ipse debeat esse perfectus Magister, Fratrum Ductor, ac spiritualis Pater, & ita debet esse Magistro quàm simillimus, immò, & ipso perfectior, oratione, & sanctis desiderijs domum, velut humeris substentet, & quæcumq. quibus præest ad ipsorum, aliorumq. ædificationem iuxtà instituti nostri rationem præstare debet, priùs in se ipso præstare studeat.

Imitetur in gubernatione charitatem, mansuetudinem, & benignitatem Christi, & iuxtà Apostolum forma factus gregis ex animo exemplo magis, quàm verbo subditos ad perfectionem dirigat.

Seueritatem suo tempore cum benignitate misceat, suamq. auctoritatem non elatione aliqua, vel imperio, sed solidis virtutibus tueatur, dilectionem, & curã suorum præseferendo modestè, & circumspectè præcipiat, & ita amabilem se reddat, vt omnes fideliter ad illum recurrere possint.

Constitutiones, & Decreta, quibus instituti nostri ratio continetur sæpè præ manibus habeat,

beat,

beat, & frequenter legat, vt ſecundum ea ſe, & alios ſciat gubernare.

Lectio Sanctorum ſit illi aſſidua, & eorum maximè, qui de gubernatione ſcripſerunt, cuiuſmodi eſt Paſtorale S. Gregorij, S. Laurentius Iuſtinianus de regimine Prælatorum, S. Bonauentura de ſex alijs Seraphin.

Negotium, curamuè ne ſuſcipiat (licet à Conſtitutionibus non prohibitam) ne vè ita literarum, aut alterius rei ſtudio occupetur, vt eius officij recta executio impediri poſſit, qua in re, ſi quæ dubitandi ratio occurrat, conſulat Superiorem.

Exitus è Domo, quantum poſſibile fuerit, vitet, ab Vrbe autem, vel Oppido, niſi ob cauſam omninò ineuitabilē, nō proficiſcatur: cum ipſius Superior eſt in Conuentu, quicumq. ſit, ſine eius ſcitu Domo non exeat regulariter, & in ingreſſu, & regreſſu eius benedictionem accipiat.

Curet, vt ſinguli quot annis, ſemel ſaltem, per decem dies ſpiritualia exercitia faciant, vt reſumpto ſpiritu feruentiùs poſteà procedant, quod, & ipſe præſtabit.

Curet, & maximè inuigilet, vt omnes duabus horis quotidiè mentali vacent orationi, ac propterea tàm ipſe, quàm omnes alij occupationes omnes tempore orationis vitent, quantum fieri poterit, ſi aliqui ſint Donati,

quibus non possint horæ nocturnæ assignari, procuret, vt orationi communitatis intersint, etiam si ob hoc à labore cessare debeant.

Bis in anno omnium Religiosorum spiritum examinabit, & an aliquid remedio indigeat, exactiùs solito videbit.

Collationes spirituales in Constitutionibus præscriptas, ne remissè, & tepidè & perfunctoriè fieri permittat; sed acri, feruentiq. studio haberi curet, vt hoc pacto si cuiusquam spiritus ardor deferueat, ijs quasi agitationibus incalescat.

Capitulum culparum omnì cura tuebitur, & vt Patres sibi inuicem culpas imponant, vt moris est, procurabit, exhortationes Capitulares regulariter sint de obseruantia Regulæ, & de perfectione monastica.

Vnionem, & concordiam Fratrum summo studio curet conseruare, si aliqua inter illos conturbatio acciderit, curet, vt quantociùs cesset, & in gratiam redeant.

Fratres ab ijs, quæ nocere illis possunt Domi, forisuè defendat, tùm præueniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo.

Crebrò, & magna charitatis significatione alloquatur fratres, eorumq. necessitatibus, non tantum corporis, sed multò magis animæ paterno affectu prospiciat, si quem verò intel-

ligat tentatione pulsari, præsertim graui, eius peculiarem curam gerat, remediumq. per se, 365 & etiam per alios (si ita iudicauerit expedire) adhibeat.

Nulli peculiariter adhęreat, sed si simpatiam naturalem cum aliquo habeat, aut à virtute, & perfectione alicuius se trahi sentiat, ita erga illum se gerat, vt nullus illi peculiariter adhærere iudicare posſit.

Discursus inutiles in Cella sua fieri non permittat, maximè tempore magni silentij, & omni tempore submissa voce, quantum fieri poterit, loquatur tàm ipse, quàm alij.

Quæ Cõstitutiones statuunt de otio vitando, de exercitijs ab eo vnicuiq. præscribẽdis, de recessu in Cellas, de familiari sæcularium conuersatione, intelligat Prior maximè ad subditorum profectum conferre, ideò ea quam diligentissimè obseruet, & faciat obseruare.

Ne proprietatis vitiũ tacitè subintret, permutationes rerum ad vsum concessarum aliquando fieri curet, & probet, an subditi alicui rei nimis adhæreant.

Curet, vt nullus sine expressa licentia in alterius officio se intromittat, & vt Officiales Suppriori, sibiq. omnes exactam obedientiam præstent, quam ipse etiam suis Superioribus præstare debet, ita vt aliquid nunquam contra illorum mandata, aut faciat, aut fieri permit-

tat,

tat, quod si aliquid inconueniens oriri possit ex Superiorum mandatis, humiliter illud repręsentet, & posteà quod ordinatum fuerit à Superiore, omninò præstet, vt in Constitutionibus statutum est.

Curet, vt Officiales suas peculiares habeant Instructiones in cella, vel officina, easq. sæpè perlegant, & exactè obseruent.

Libellum habeat, in quo scribat quæcumq. sibi ad bonum Domus statum occurrent, ne memoria excidant, præcipuè ea, de quibus Generalem, vel Prouincialem credit esse admonendum.

Frequēter cum Discretis agat de rebus maioris momenti, quę tam in spiritualibus, quam in temporalibus occurrent.

Discretos, & præcipuè primum libenter audiat, & benignè excipiat, cum aliquid ei proponunt, ijs auditis penès ipsum erit statuendi facultas, vbi Constitutiones nostræ aliter non disponunt. Cum tamen de aliqua re fuerit monitus, nunquam exprobret, aut sine causa se monitum esse significet, sed de se emendando cogitet, vel modestè, & pacatè rationem facti adducat. Si aliquem Patrem Prælati officio functum, vel fungentem Conuentualem habeat, eum frequenter consulat, & eius monita magni faciat.

Diligenter ea, quæ de prima mensa Constitutio

tutio statuit, obseruari faciat, quod faciliùs obtinebit, si plures Missas tempore horarum antè prandium dicendarum celebrari non permittat, & ipse primæ mensæ intersit, & ingredientibus interdum de habita occupatione rationem reddere fecerit, & non legitimè occupatis aliquam pœnitentiam dederit.

Prouideat diligenter, ne desint Confessarij, vt vocati sedulò occurrant, & postquam pulsatum est ad Chorum, non liceat illis nouam confessionem sine licentia incipere ferialibus præcipuè diebus, sed finita illa confessione ad Chorum accurrant.

Sic moderetur confessiones & alia, quibus proximi iuuantur, vt Chorus non destituatur numero Fratrum necessario, vt actus illius debitè fiant.

Non permittat eodem tempore omnes Cõfessores abesse, sed semper Domi, vel in Ecclesia maneant aliqui pro necessitatibus occurrentibus, maximè verò diebus festis, quibus nisi magna vrgente necessitate Confessarios forâs non mittat.

In tempore orationis Vespertinæ, nisi in Vigilijs alicuius magnæ solemnitatis, confessiones audire non permittat, nisi in aliquo casu rarò.

Pro temporalibus bonis acquirendis instituti nostri integritatem ne nimium violet; sed

ſed primùm ſibi, & Fratribus Regnum Dei, & Iuſtitiam eius proponendo ſperet à diuina bonitate ſubſidia temporalia. Pro Eccleſia, & Sacriſtia curet non tam præcioſa, quàm munda, apta, & congrua noſtro inſtituto, & Conſtitutionibus, præſertim aduertat, ne corporalia, pallæ, & albæ habeant in extremitatibus, maximè manicorum, ornamenta, quæ vulgò dicuntur merletti, ſeù pizzi, propter inconuenientia, quæ inter miniſtrandum ſolent accidere.

Mulieres inuiſere, aut ad eas ſcribere niſi cum magna neceſsitate, aut ſpe fructus, noſtros Religioſos non ſinat, neque hoc permittat, niſi viris valdè probatis, & prudentibus.

Quæ Conſtitutio noſtra ſtatuit circà exitum è Clauſtro, & quod noſtri extrà Conuentum non bibant, nec cibum ſumant, ſciat eſſe maximi momenti, ideòq. Fratres ad fauſta imprecanda feſta, & alia ſimilia, quæ ad nos non pertinent, Domo exire non permittat.

Amicos conſeruare, & eos, qui erga nos malè affecti ſunt, præcipuè ſi ſint viri magnæ auctoritatis, orationibus, & rationibus conuenientibus in amicitiam reuocare, aut ſaltem ne aduerſarij ſint, efficere ſtudeat.

Profecturi ad alios Conuentus non priuentur interioribus indumentis, quibus vtuntur, immò charitas ſuadet, vt cum melioribus commu-

mu-

mutentur, reliqua verò ad iter agendum necessaria magna cum charitatis significatione illis prouideantur.

Non permittat, vt nostri curam mulierum Religiosarum, quarumcumq. suscipiant, vt ordinariæ illorum confessiones audiant, vel ipsas regant; sed in hoc strictè seruentur, quæ Constitutio nostra statuit.

Non ferat, nostros quidquam pro se à parentibus, amicis, aut deuotis petere, sed omnia eis necessaria à Congregatione prouideantur.

Aegrotantium, & imbecillium singularem curam gerat, & vt in Constitutione dicitur, eos frequenter inuiset; intererit etiam quandoq. eorum ministerijs, Mediciq. præscriptionibus, aqua benedicta asperget, & alia huius generis præstabit obsequia, quæ ipsis ægrotantibus consolationem afferre, & alios ad officia charitatis incitare solent.

Caueat, quantum posit, ne in fine officij Conuentum ære alieno grauatum relinquat, sed maturè prouideat abstinendo à sumptibus non necessarijs.

Externos hospitio non accipiat, vt Domi pernoctent, nisi id officij sine magna offensione charitatis, vel gratitudinis prætermitti non posit, & tunc notificetur illis tempus per Constitutiones præscriptum. Erga acce-

ptos

ptos autem omni charitate, & humanitatis officio vtatur; non tamen permittat, nisi aliquem ex prudentioribus Patribus de licentia ipsius, cum hospitibus loqui.

Hæc legat Prior in initio officij sui, & iterum post menses circiter sex, & eodem modo deinceps quandiù officium eius prorogatur.

## Instructio Supprioris.

EXimiam Fratrum curam gerat, ne spiritum, quem in Nouitiatu acquisierunt, eius incuria amittant, quod faciet, si aliquando eorum spiritum examinet sigillatim.

Exhortationem semel in hebdomada faciet Fratribus Choristis, & die regulariter, quo infrà hebdomadam communicant; non verò diebus Dominicis, quia si sit Domus studiorũ, impediuntur multum scolares, qui se ad conclusiones illo die præparare debent, si extra Domum studiorum, regulariter solet esse concio illa die in Ecclesia, cui omnes interesse solent, & sic non conueniet bis in die habere exhortationem.

Quoad Fratres verò Donatos, si eorum curam habeat, melius erit non facere exhortationem formalem, sed paucis verbis modum laborãdi cum spiritu docere, & de modo orandi,

di, virtutisq. colendæ, & similia instruere, ac examinare, quomodo circà hæc procedant, similiter circà Cathechismum aliquando communitèr, aliquando priuatim cum his, qui rudiores fuerint, aget, & ea, quæ ad fidem pertinent docere, solent siquidem non raró inueniri, qui omnia ista ignorant, non sine rubore Religionis, & culpa Magistri, & Religiosi.

Si sit Magister professorum in Domo professa, habeat Cellulam in Dormitorio clauso cum Fratribus, cum quibus etiam erit separatus in recreatione, assistetq. (nisi fuerit occupatus) Vesp. Dulciss. Nominis Iesu fer. 6. in illa Domo dicendis, & post Matutinum in illa media hora fieri solita, ac in alia diurna recitationis coronæ, & bis in hebdomada Fratres congregabit, semel pro exhortatione, semel pro accipiendis culpis, petendaq. præsentia Dei, &c.

In locis, vbi præsidere contigerit, videat, ne in faciendis signis humilitatis modum excedat, non imperiosè loquendo, nec signa fortiter faciendo, sed modestiam, & grauitatem humilem semper seruare curet, tùm maximè, cùm aliquis Prælatus, vel Religiosus grauis Communitatis actibus assistit.

Si Prior, aut Superior eo, qui præsidere deberet, in Refectoriolo comedat carnes, & casu, dum ipse adest, exercetur mortificatio extraordinaria, (quæ regulariter non est permittenda

tenda in tali casu ) Supprior, qui præest, valdè breuiter expediat, & vno, vel altero verbo, non tamen correctionis illum dimittat, similiter si contingat tempore culparum post cænam vel collationem adesse Prælatum in Refectoriolo de culpis non agat, sed breuiter commendet benefactores, nisi aliter ipse Prælatus iniunxerit, nullo tamen modo, si corripiat culpas præsente, vt supra, Priore det disciplinam, quod obseruandum est, non solum quando adest Prior, aut Prælatus, qui præsidere deberet, sed etiam vrbanitatis gratia, quando adesset alius Superior etiam hospes.

Strictissimum silentium in Refectorio seruet, itaut, quod poterit significare signis, non faciat verbis, ad quod in modum introducat signa aliqua communia, vt extendere parum manus, quando voluerit, vt quis in Crucis modum extensis manibus existat, &c.

Hæc supradicta communia sint cuilibet Pręsidenti respectiuè.

In facienda communi officiorum tabula diligenter videat occupationes Religiosorum in illa hebdomada, ne contingat alicui assignari officium, quod nunquam, aut rarò tota hebdomada exercere potest, vt si sciat aliquem non posse adesse Choro in illa hebdomada, non assignet illum Hebdomadarium, Diaconum, Lectorem Martyrologij, & sic de cæteris.

Cu-

 369

Curet, ne iniungat alicui duo officia incompatibilia, & exercenda eadem hora, nec vnum post alium, maximè tempore recreationis, nam si Lector primæ, vel secundæ mensæ sit etiam tersor scutellarum tota hebdomada non erit in recreatione.

Consideret etiam personas, & ætates Religiosorum, nam licet ratione ætatis, & dignitatis ab officijs humilibus nullus debeat abstinere, vrbanitas ipsa, ac prudentia dictat, quod cum aliquibus personis habeatur ratio ætatis, & qualitatis, vt si Prælatus aliquis (exempli gratia) Præpositus, & Prouincialis officio functi remaneant Conuentuales in eo loco, vbi immediatè ante fuerint Prælati, indecorum esset, mox vt perfecerunt officium, illa officia Chori, & Refectorij ei assignari, quæ in communi tabula Supprioribus non assignantur.

Eximiam curam Chori geret, & ceremonias tàm Chori, quàm extrà ad vnguem obseruari curet, Directorium recitãdi officium diuinum secundum nostrum Kalendarium ipse per se, vel per alium faciat distinctè, vt ab omnibus intelligi possit, & in Choro affigi faciat, vt officiales, & alij possint præuidere de quo, & quomodo recitandum sit officium, &c.

Antè præcipuas quasdam festiuitates, & officia particularia præuideat quid agendum sit in illis, nec contentus sit memoria.

E Con-

Conuocet pro his solemnitatibus, seù processionibus Fratres, & ceremonias peculiares eis suggerat, in eisq. eos dirigat, & si opus fuerit, exerceat, moneatq. de modestia, de grauitate, de Religione, de exemplo, & de ritibus in eis seruandis.

Habeat inter Fratres, qui peritiores sint, vt eis vtatur circà officia quædam, quæ occurrunt rariùs, etiamsi in illa hebdomada non sint asignati in tabula, vt faciliùs, & decentiùs ea, quæ publicè exercentur, fiant. In solemnioribus solemnitatibus, in quibus debent Prælati celebrare, asignet extrà tabulam communem ministros ex dignioribus, etiam ex illis, qui in communi tabula asignari non solent, & hoc iuxtà qualitatem Prçlatorum celebrantium.

Curet, vt Manualia sint sufficientia pro omnibus, Manuale, & Ordinarium frequenter legat, & à Fratribus perlegendum curet, agatq. cum Priore, vt semel saltem in anno legatur Ordinarium in Refectorio, & in recreationibus aliquando dubia circà ceremonias, & rubricas, tùm Missalis, tùm Breuiarij tractari, & declarari curet, nec erit abs re, quod aliquando sacrum aliquod, quod vocant siccum, in recreatione celebretur, vt, & Sacerdos, & Fratres vniformiter faciant ceremonias.

Si sint aliqui Fratres valdè inepti, ne illis quæ-

quædam officia iniungat, quæ non possint præstare cum requisito decore, maximè coram sæcularibus.

Cum Chorus moderandus est, eò quod nimis celeriter, vel lentè procedat, aliquo signo vtatur, quo id admoneat, & à verbis, quantum fas fuerit, tàm in hac, quàm in alia occasione abstineat, similiter si Chorus nimium demissa voce procedat, vel iubeat Cantoribus, vt altiùs intonent, vel ipse id agat, aduertendo tamen, vt eodem tempore non incipiant ambo, nec eleuetur Chorus postquam Cantores incœperint immediatè propter dissonantiam.

Quotiescumq. aliquid terminãdum est cum Gloria Patri antè finem Psalmi, à Suppriore, vel Præside solùm incipiatur Gloria Patri, & in aspersione aquæ benedictæ non dicatur Gloria Patri, donec Hebdomadarius redierit ad suum locum, ne necessarium sit, Hebdomadarium, & Thuriferarium indecẽtèr, cum dicitur Gloria Patri, inclinari in medio Communitatis, vel relinquere inclinationem.

Quando respondendum est Sacerdoti, respondeatur in eodem tono propter dissonantiam, quæ aliter subsequeretur, benè tamen cum in Altari incipitur Gloria in excelsis Deo, vel Credo, & Sanctus, possint Cantores ad nutum Supprioris, vel Præsidis accipere alium tonum, si fortè sit nimis altus, vel demissus.

Particularem diligentiam adhibeat, ne in officinis aliqua corrumpantur, & ideò sæpè eas visitet, & perlustret, an Ministri benè suo munere fungãtur, & quãdo opus fuerit, admoneat Priorem, vt quæ necessaria sint, prouideat, & quæ ad corruptionem tendunt, vel reficiantur, vel de remedio opportuno prouideatur.

Curet Supprior, vt sancta, & antiqua nostræ Sacræ Religionis cõsuetudo mittendi certamina spiritualia ad alios Conuentus antè festum Exaltationis Sanctæ Crucis, non solùm cõseruetur, sed & foueatur, vndè monito priùs Priore (à quo petet ad quas virtutes prouocare velit) iniunget alicui, si ipse nolit facere, vt faciat vnum certamen, prouocans Religiosos aliorum Conuentuum ad exercitium illarum virtutum, quas vel Prior asignauerit, vel ipse elegerit, moneatq., ne fiat certamen nimis curiosum fuco, vel rethorica ornatum, nec cum dictis Scripturæ sacræ, & SS. Patrum, sed breuiter proponet virtutes, ad quarum exercitium excitare desiderat, ne ea, quæ ad virtutum æmulationem introducta sunt ad fucum, vel ostentationem, seù in risum vertantur.

Regulariter hæc certamina mittenda sunt omnibus Conuentibus Prouinciæ, ad alias verò Prouincias sufficiat, vt Conuentus Noui-

tia-

tiatus mittat ad alium Conuentum Nouitiatus, & Conuentus studiorum ad Conuentum studiorum, curetq. (si cômodè fieri possit) vt antequam mittantur, legantur in Communitate, & subscribantur à singulis, aliàs satis esset, vt vnus nomina omnium subscribat.

## *Instructio Secretarij Generalis; & Prouincialis.*

HAbeat in Cella Arcam, vel Armarium, in quo scripta, & epistolas secreto dignas seruare possit, in qua etiam relinquat, quando absuturus est multum à Cella sigilla Generalis, & epistolas non clausas, & nihil aliud ibi habeat, nisi de expressa licentia Generalis.

Strictissimum silentium seruet circà ea, quæ scripserit, aut legerit, caueatq. ne legat, vel epistolas, quas Generalis ipse sua manu scribit, vel quæ ad Generalem mittuntur, etiam si inueniat apertas, nisi eas Generalis legendas, vel vt eis respondeat, dederit.

Caueat, ne quid literis addat, sed ea tantum, quæ iniuncta fuerint à Generali, simpliciter scribat, ac proindè ab ipso intelliget distinctè, quæ scribenda erunt, & quæ fuerint alicuius momẽti, consultum erit, ipsi Generali ostendere legendas, antequam subscribantur.

Nullius litteras mittat cum sigillo Generalis, nisi de eiusdem expressa venia, nec etiam sub plico Generalis regulariter, nec eas, quæ aliundè in eodem plico venerint, det Religioso subdito, inscio ipso Generali, vel Superiore.

In Conuentibus, vbi fuerit, bonũ exemplum præbere curet non se intromittendo in rebus, quæ ad eius officium non pertinent, nec referendo ex vno in alium Conuentum ea, quæ sciuerit.

Nihil mutuo petat in Conuentu, vbi fuerit, nec datum gratis accipiat sinè licentia Generalis.

Hæc Instructio inseruit pro Secretario Prouincialis.

## *Instructio Confessarij.*

CVm primùm ad sacram Confessionem audiendam vocatur, cor in Deum intendens, & auxilium gratiæ, tàm sibi, quàm pœnitenti deposcens in Ecclesiam insigni cum modestia tendat

In assignato sibi Confessionali sedens, verbis quibuscumq. minimè necessarijs abstinere curet, & confessionem sacram audire incipiat.

Confessionem auditurus alteram tantum aurem accommodet, & intuitum præsertim mulierum accuratissimè vitet,

Cor-

Corpus totum ita componat, vt habitu tectum nihil deformitatis præseferat, gestibusq. incompositis, brachiorum præsertim, & manuum abstineat.

Confitentes quosuis breuiter expedire curet, ac singularem moram cum ijs præcipuè mulieribus, quæ Sacramentum frequentant, seriò caueat.

Sit verbis parcus, lenis, grauis, ita vt peccantes corripiat in spiritu lenitatis, neque austerus sit, nisi dùm lenitatem non prodesse animaduertit.

Caueat, nedùm pauperes vnà cum diuitibus, (vt in solemnioribus Festis vsu venit) Sacramentum esposcunt, diuites anteponat.

Cum ad infirmorum confessiones foras prodit, modestiam, & mulierum fugam affectet, nec se testamentorum, vel aliorum negotiorum laqueis implicet.

Exploret an Doctrinæ Christianæ rudimentis, quos audit, instructi sint, & ignaros erudiat, vel alicui erudiendos tradat, si non vacet.

Legat pios exemplorum, & consiliorum libros, è quibus seliget aliqua, quibus, cum opus fuerit, hortetur, corripiat, terreat, soletur, aliaq. præstet, quibus animas Christi sanguine redemptas Deo lucrari possit.

Ne admittat vlla negotia intrà, vel etiam extrà claustrum Sacramenti, quæ à functione

tam sacra animum diuertat, sed statim, ac animaduertit, rem ad Sacramentum non pertinere, confitentem admoneat.

Nihil temporale etiam prætextu pietatis sacræ illius functionis causa, vel occasione petat, nec spontè oblatum in Confessionario accipiat, sed soli animarum saluti totus vacet.

Ne suscipiat curam mulierum præstitutarum, vel aliarum, quæ animum ab instituto diuertat.

Quos audiet, non tantùm à culpis imposterùm abstinere, sed salutaribus monitis, & exercitijs ad spiritualem profectum instruere curet.

Confessarij nullam mulierem admittant ad aliquod votum obedientiæ sibi exhibendæ emittendum.

## *Instructio Procuratoris Conuentus.*

Sit fidelis, vt in bonorum Conuentus dispensatione nihil agat, quod puritati conscientiæ non congruat; sit prudens, vt inuenire possit media quibus ea bona tueatur, & augeat.

Codices habeat, quibus eleemosinas, & rationes accepti, & expensi, à Patribus designatis subscribendas notet.

Debita, quibus Conuentus obnoxius est, annotet, & ea temporibus pactis dissoluere curet.

Quid-

Quidquid quouis iure Conuentui debetur notabit,& præfixo tēpore exigat, pecunias verò,quas exegerit, & recuperauerit numeratas coram aliquo ex Discretis in arca trium clauium reponat.

Onera Missarum, vel alia quæuis sacra incomperto habeat, & curet, vt eis satisfaciat.

De fabrica, si quæ fuerit, & cuius expensis peculiarem curam geret.

Res vsui Conuentus inutiles de Superioris venia vendat, mutet, seù permutet.

Quicquid pro statu paupertatis nostræ ad vsum Fratrum necessarium est,temporibus opportunis emat.

Pecunia,quam apud se depositam habiturus est, sic vtatur, ac si rem Christo dicatam contrectaret, caueatq. ne cor illi hæreat.

Nunquam extrà arculam pecuniam dimittat, eiusq. clauem semper apud se gerat.

Exploret, an Fratres, quibus rerum emendarum cura committitur, rectè agant, ne paupertatis cultus extenuetur.

Ne abutatur foras prodeundi venia, sed quoad possit,ab exitu abstineat, & cum exire cogitur, modestè agat, & quam breui possit reuertatur.

Familiaritatem sæcularium, præsertim mulierum, quæ rerum temporalium commercio facilè contrahi solet, accuratè vitet, & licet

cor-

corpore foris, corde tamen semper intrà claustra versetur.

## *Instructio Sacristæ.*

PLurimi faciat, se thesauro Christi præpositum esse, ac proindè rerum sacrarum dignitatem æstimet.

Rerum omnium ad Ecclesiam, & Sacristiam spectantium, Cathalogum distinctis classibus faciat, vbi, quæ imposterum donabuntur, inscribat, & quæ successu temporis perierint expungat.

Quæ in Sacristia seruantur, suis receptaculis ita disponat, vt facilè inueniri, & depromi possint. Et vnum quodq. vasorum, & vestium sacrarum genus in loco distincto seponat.

Regulas Missalis, & Breuiarij calleat, & subsequentis diei festa pridie notet, vt in parandis vestibus nihil erroris admittat, quæ autem in hebdomada Sancta, & Festis solemnioribus agenda sunt, accuratiùs animaduertat.

Calices, Patenas, Corporalia, & quæ ad Sacramentum Eucharistiæ proprius spectant, diligentissimè obseruet, nę quid fractum, læsum, lacerum, sordidum, aut quouis modo deforme appareat, statimq. ac eiusmodi quidpiam deprehendit, reformet, aut à sacrificio remoueat.

Sit in Sacristiæ locus panno coccineo, vel

alio

alio ad rem apto conuestitus, & ornatus, vbi sacri Calices antè, & post sacrificium deponantur, ne sordes contrahant.

Purificatoria frequentissimè mutentur, vinumq. rubeum, si fieri possit, nunquam ad sacrificiū ministretur, ne sacra lintea inficiãtur.

Crepidas ex corio inuerso, aquæ copiam, lintea ad extergendas manus, & forficas illic appensas in loco apto prouideat, ita vt omnia in promptu sint.

Instruat locum saltem vnum in Sacristia, vel Sacristiæ propinquum accubito ligneo, & imaginibus sacris, vbi Sacerdotum confessiones audiri possint.

Hostias sacras semper, & plurimas, & candidas, & benè circinatas habeat in capsellis, ita concinnatas, & tectas, vt nec humectentur, nec nimis arescant.

Pileos clericales paratos habeat, quibus vtantur Sacerdotes sæculares apud nos sacrum facientes.

Tot sudariola, & amictus pro Sacerdotum numero cuiq. assignata, & discretis locis appensa habere curet, & creberrimè mutet.

Missalia munda esse curet, sordesq. ex contrectatione adhęrentes diligenter extergat, signa disponat, & vetera nouis permutet.

Cruces, thuribula, candelabra, & eiusmodi alia, quæ non ita frequenter exercentur in de-

signa-

ſignato loco reponat, & contegat ne puluere, & alijs ſordibus inquinentur.

Librum habeat, vbi nomina Confratrum inſcribat.

In veſtiendis Altaribus, atque ornandis ſit admodum ſedulus, & curioſus, neque in re tanta vllam incuriam culpa vacare credat.

Tribus mappis, aut linteis aras ſacras obtegat, è quibus vna, quæ Altaris tabulæ inſternitur in vtrumq. latus defluat.

Sit Altariolum proximum benè compoſitum, vbi ampullę vitreæ cum operculis vitreis in patina reponantur ad ſacrum miniſterium.

Vas cum extremę Vnctionis Oleo ſancto in aliquo Altaris receptaculo ſemper aſſeruet, quotannisq. permutet.

Habeat duas ex argento Pyxides ſacras, alteram, qua in ſacrario plurimæ hoſtiolæ conſecratæ ſeruentur, alteram, quæ à Sacriſtia hoſtiolis conſecrandis plena in Altare aſſeratur, & crebrò, accuratèq. tergantur, ne reliquiæ ob incuriam pereant.

Sacra itẽ hoſtia maior in ſacrario ad id opus deſtinato ſeruetur, vel in ſupplicationibus geſtanda, vel populo ad orationem aperienda, adhibito thure octauo quoque die renouetur.

Ad eiuſmodi ſuffitos, alioſq. eiuſmodi paſtillos odoratos habere curet, qui nihil profanum redoleat.

Flores ( pro tempore ) naturales, vel artificiales ad Altaris ornatum benè concinnatos in vitreis, vel fictilibus vasis disponat.

Altaria reliqua ad maioris normam vestire, sed non æquè ornare curet.

Tapes omnibus Altaribus supponatur, suppedaneum Altaris maioris tapete simplici obtegat, & obhærentes sordes quotidiè excutiat, vel abstergat.

Tabellas ex voto, cereos, aliaq. promissa, quæ è templi parietibus pendent, ita distribuat, vt omnia decora sint, si quid indè eorum extet, amoueat.

Sedes Confessariorum, & Pulpitum frequenter detergat, ipsosq. templi angulos sæpè reuiset, ac mundet, at parietes Ecclesiæ, per singulos menses semel extergat.

Lintea, quæ antè Altare Sacramentum Eucharistiæ sumentibus obtenduntur, & munda, & satis longa proferet, vasaq. vitrea, quibus ablutio ex vino aqua diluto ministratur, munditia nitere curabit.

Omne denique, tàm Sacristiæ, quàm Ecclesiæ, proximorumq. locorum ita paratum seruet, vt omnia tueri, & pro status nostri ratione augeri curet, licet enim quod ad nos attinet, viles, lacerasq. vestes præciosis anteponamus, quod ad Christum in venerabili Sacramento existentem spectat, æquum est, ne-

que

que vile, neque indecorum esse, tametsi, & in hoc etiam genere, non tàm preciosa, quam honesta quæramus.

Quod ad Missarum, & temporis distributionem pertinet, det operam, vt nunquam Missæ desiderentur; proptereàq. discretis horis Sacerdotes, Fratresq. ministraturos moneri curet, neque multos confestim sacrum facere sinat.

Missarum, quæ dicuntur, numerum singulis mensibus Superiori referet.

Cum Sacerdotes externi accedunt, eos leniter excipiat, & si noti non sint, litteras dimissorias leniter petat, apparatumq. mundum tribuat, eosq. quantociùs expediat. Quod si fuerint Prælati, Episcopi, aut alij insignes viri, è capsis meliora depromat.

Silentium, ac modestiam in Ecclesia, Sacristiaq. obseruari curet, & mulieres, quæ pulsata campanula ad ianuam quidpiam exposcunt, breuissimè dimittat.

Omnia diligenter custodiat, nequid, (vt euenire solet) surripiatur, proptereàq. cum è Sacristia necessariò diuertendum est, custodem alium suffici curet.

Multa quoque alia in Rituali nostro ad sepeliendos mortuos, aliosq. actus multiplices obseruet, sine quibus officium explere non potest.

In

In quolibet Altari, vbi celebratur, Crucem, & duo candelabra collocet.

Statuat candelabrum extrà Altare in cornu epistolæ, vbi cereus crassior ad eleuationem accendendus est.

Cereorum & candelarum curam gerat. In Altari maiore festis secundæ & primæ classis, tàm ad Missam maiorem, quàm Vesperas, ac Matutinum (quando totum solemniter canitur) sex candelas accendat, in alijs verò diebus ad Missam, & Vesperas duas.

Curet, vt in Quadragesima, Aduentu, Vigilijs, & Rogationibus occurrentibus festis duæ dicantur Missæ, vna de festo, in qua non fiat commemoratio Feriæ, &c. altera de Feria, &c. in qua non fiat commemoratio festi occurrentis.

Mensibus Nouembris, Decembris, & Ianuarij non aperiatur Ecclesia nisi post orationem Matutinam, & quocumque festo, vel solemnitate occurrente post vltimum sacrum claudatur, & mulieres nullo pacto intus clausas remanere permittat.

## *Instructio Ianitoris.*

STatim, ac Ianuarum ei cura committitur, in locum Ianuæ Monasterij propinquum sibi assignatum se recipiat, nec indè ad alia obse-

obſequia ſe, niſi cogente neceſsitate, diuertat.

Si ex neceſsitate recedendum ſit alteri de Superioris venia claues interim tradat.

Mox, vt Campanæ ſonum audit, quaſi Obedientiæ ſigno vocatus accurrat.

Antequam Oſtium aperiat inſigni cum modeſtia per feneſtellam proſpiciat, & ſi mulieres ſint, vel etiam viri, quos admittere intrà Oſtium opus non ſit, oſtio clauſo breuiter expediat.

Ne ſit verbis durus, aut nimius, ſed ſuauiter, & parce loquatur, & lenibus reſponſis omnes, ſed præcipuè pauperes conſoletur.

Principes, aut viros illuſtres, præſertim Eccleſiaſticos, ac ſigillatim Religioſos admodum veneretur, & eis multa cum demiſsione Oſtium aperiat, & Cardinalibus, Epiſcopis, & Archiepiſcopis ingredientibus genuflectat, & manum, aut veſtem oſculetur.

Eiuſmodi viros comiter admoneat, vt in propinquas Cellas, ſi placet, ingrediantur ſeſſuri interim, dùm Religioſi ab eis poſtulati vocantur.

Caueat, ne eo abſente vnquam oſtium pateat, neque clauem in oſtij ſera, vel alibi expoſitam alijs vnquam dimittat.

Solitas eleemoſinas extrà oſtium in loco, & tempore deſignato diſtribuet, non tamen mulieribus, hæc autem diſtributio conuenientius

fiet

 374

fiet extrà portam, per quam ingredi solent currus, &c. & tunc ab alio assignato à Superiore, sinè cuius venia nullum intrà vesci sinet.

Loca ostio propinqua, quoties sordida fuerint, non expectato die toti Conuentui præscripto mundabit.

Caueat, ne venientes responsis parum religiosis offendat, & cùm meridiè Fratres recreantur, vel quiescunt, hæc enim & similia, quorum causas iustas sæculares ignorant, eis aperienda non sunt, sed prudenter respondendum est, Fratres tunc occupatos vocari non posse, vel si res vrgeat, Superiorem admoneat.

Nullũ è nostris ad exteros audiẽdos absq. venia Superioris vocet, neq. litteras, aut res alias, vel etiã salutationũ verba deferat, vel referat.

Ad eleemosinas distribuendas, mulieribus præsertim, Superiorem consulat, neque charitatis aliquid sine venia eroget.

Quandiù canonicis horis, vel orationi Fratres intersunt, ne illos leui de causa vocet, sed externos suauiter admoneat, eos tunc Deo vacantes non esse facilè interpellandos; quod si rem vrgere instent, illos vocabit.

Sæculares, aut etiã alios Religiosos sinè Superioris cõsensu in Dormitoria ne introducat.

Externorum molestias patienter ferat, & sinè Superioris venia cum nemine ex proposito verba faciat.

Eleemosinas, & benefactorum nomina in Refectorio post collationem, siuè cœnam quotidiè referet, vt pro eis oretur.

Officio peracto, clausis accuratè omnibus ianuis, claues in Superioris Cella prima nocte reponet, & indè summo mane illas accipiet.

## Instructio ad Exercitia Spiritualia complenda.

### *Modus explorandi, ac regendi eos, qui exercentur ad peccatorum expiationem per Confessionem generalem. Cap. I.*

QVemadmodum ijs, qui ad conualescendum, vel ad sanitatem tuendam à Medicis instruuntur pro diuersa corporis habitudine, exercitia quoque diuersa, vel certè si generis eiusdem sint, diuersè tamen temperata præscribuntur; ita, & ijs, qui è peccati morbo liberari, vel acceptæ gratiæ sanitatem perficere cupiunt, exercitia diuersa pro spirituali cuiusq. temperamento præcipienda sunt.

Manifestiùs est quippè, quam vt rationibus exponendum sit, alios vitijs inæqualibus obnoxios, alios ad virtutes inæqualiter propensos,

sos, alios amore, alios timore agi solitos, æqualibus eiusdemq. formæ exercitijs iuuari non posse.

Primùm ergò, qui exercitiorum curam gerit, eum, qui se exercere parat, exploret, quid velit, hoc est, in quem scopum exercitia dirigat, & qua spirituali habitudine sit affectus, exquirat.

Si enim eo exerceri velit, vt à peccatis sacra Confessione generali expietur, & pacata conscientia in posterum viuat; nulla ei opportuniora exercitia præscribi possunt, quam si rectam, breuemq. faciendi examinis rationem, modumq. veræ contritionis concipiendæ doceatur.

Et quidem, quod ad examen attinet, decalogi capita, quasi totidem loci communes sunt, in quos cogitationes, verba, opera, & omissiones, quæ ad vnum quodq. præceptum spectant, conferenda sunt, quemadmodum in plerisq. pijs opusculis, quæ pasim lectitantur, satis aptè traditur.

Quod verò ad contritionem pertinet, quod minùs tutum, & magis est necessarium, quæri debet, quale sit cuiusq. ingenium; & si enim vniuersis, qui de pœnitentia cogitant, communes rationes ex se quidem efficaces, quas vulgò auctores tradunt, in Nouitiorum instructione cap. de Pœnitentia inueniet Director,

salutares sint: quia tamen ex varijs hominum affectibus frequenter accidit, vt ijs rationibus acriùs excitentur, quæ non tam ad rem pertinere, quam extrinsecus affici videntur, nihil nisi expenso hominis cuiusq. ingenio, prudenter decerni potest, vt subiecto liquet exemplo.

Sunt pleriq. adeò metu mortis exagitati, vt siuè conscientia Confessione sacra purganda, siuè conceptus Dei timor alendus, siuè virtus acquirenda, siuè deniq. quidpiam aliud boni tentandum, maliuè vitandum sit, sola mortis meditatione moueantur.

Alios è contrario cælestis Patriæ recordatio ad peccatorum detestationem & aliorum bonorum operum executionem fortiùs, quam quælibet neruosa ratio, vel pia meditatio mouet. Atque in hunc modum de alijs diuersè affectis censendum est.

Explorato igitur hominis ingenio, ea meditatio ad concipiendum dolorem iniungenda est, quam efficaciorem experitur, vt per statas orationis horas eam exerceat, donec confessionis opus absoluat.

Quod si proprii ingenij rationem reddere nesciat (multi enim sæculi rebus intentissimi, vel à se ipsis ex incuria, vel alijs modis alienissimi rogati, qua meditatione potissimum afficiantur rem discernere nesciunt) rogãdi sunt, an saltèm inter pura spiritualia, putà Dei bonita-

nitatem, misericordiam, &c. & sensibilia, putà infernum, mortem, &c. aliquod in se affectus discrimen deprahendant.

Alios enim Dei bonitas, & misericordia, &c. ad quæuis pia opera flectunt, alios nihil spirituale cogitare valentes, eam tamen permouent, quæ imaginatione figurantur, pro quorum discrimine pręcepta tradenda sunt, vt scilicet, ea meditentur, vndè se fructum elicere posse prudenter conijciunt.

Quod si neque discrimen hoc rerum spiritualium, corporaliumq. percipiunt, sed bono duntaxat animo sint, iuxtà communia virorum spiritualium præcepta erudiendi sunt, vt scilicet, communes rationes ad pęnitudinem concipiendam opportunas expendant, & ex animo peccata execrari conentur.

Oratio ergò, piaq. lectio, alijq. actus, dum generalis confessio fit, ad culparum detestationem dirigantur. Quod verò ad actus alios, quod ad tempus, numerum, & modum attinet, seorsum in 3. Cap. trademus.

## *Modus regendi eos, qui ad maiorem profectum exercentur. Cap. II.*

EAdem præcepta ergà hos, ac erga eos, de quibus Cap. proximo scripsimus quoad animum, & propensionem cuiusq. scrutandam

obſeruanda ſunt. Conſtat enim & horum mores diuerſos eſſe, alios ad omne pium opus amore, alios timore præſertim moueri; quapropter primum de affectu proprio, ac exercitiorum fine rogandi ſunt.

Si enim proficere ſe velle dicant, & è quibus meditationibus fructum vberiorem percipiant, Patri, à quo regendi ſunt, compertum ſit, & locum, & tempus, & pios libros, actusq. cæteros ad profectum opportunos prudenter ſeligere difficilè non erit.

Si verò de ſtatu Religionis deliberare velint (qui vberior profectus eſt) cum iam eo ipſo, quod de re tanta conſultent, rationibus, quæ Religioſi ſtatus perfectionem oſtendant, proculdubio indigeant, & oratio, & pia lectio ea ſit, oportet, quæ ad tanti boni cognitionem, & amorem animum excitare valeat.

Qua in re cauendum eſt, ne quid violentum fiat, & ſi enim eos, qui ſpiritualem profectum exquirunt, quin & vniuersè quos vis idoneos ad Religionis ſtatum hortari decere è SS. Patrum exemplis, ac doctrina pateat: quia tamen affectatum in hoc genere artificium humanum quid præſefert, ſalubrius eſt, eos, qui exerceri cupiunt, ſuauiter ducere.

Suauitas autem in hoc ſita eſſe videtur, vt qui eos regit non inſtet nimis acriter, non oneret animum importunis, aut multiplicibus

con-

consilijs, nullum, vel consensum, vel dissensum extorqueat, asperitatem verborum, & actuum vitet, pœnitentiæ opera, putà, ieiunia, vigilias, &c. viribus attemperet, idq. potissimum curet, vt quicquid ab ijs, qui exercentur, præstandum est spontè, nascatur.

Iuxtà doctrinam ergò hanc, qui de Religione non agunt, sed profectum aliquem exquirunt (nisi mutato consilio ex ijs, quæ cernunt, vt frequenter accidit, in Religionis statum aspirent, quod vel non rogati, vel suauiter admoniti significare solent) liberrimè agere sinantur, & insigni cum hilaritate sic instituantur, vt ad proprias ædes reuersi, quod didicere conseruent.

Si verò de aliqua Religione seligenda consultent status noster ita eis sincerè proponatur, vt si in aliam Religionem reformatam propendeant, propositum commendetur, & alatur, sic enim fiet, vt qui apud nos remanserint, non humanis consilijs, sed Spiritus sancti ductu agantur, & firmiùs perseuerent.

## *Distributio horarum, & exercitiorum. Cap. III.*

QVicunq. exercendi sunt, nisi ex aliqua peculiari causa, putà, in infirma vale-

tudine, vel generalis confesſionis examine; aliter fieri expediat, ad horas omnes canonicas, & orationem mentalem vnà cum Patribus ab aliquo Fratre deſignato, ſi opus fuerit, vocati conueniant.

Poſtquam ergò Matutinum nocte media, cum alijs, vel iuſta cauſa ſeorſum recitauerint, per horam dimidiam orationi vacabunt.

Recedent mox ad quieſcendum, donec ad orationem matutinam excitentur.

Deindè hora integra in Oratorio cum Fratribus orabunt.

Si non ſint Sacerdotes, paulò poſt orationem vnà cum Fratribus, vel ſeorſum Miſſæ intererunt: ſi Sacerdotes ſint, oratione peracta per dimidiam horam, ſe ad ſacrum faciendum, comparabunt, & ſi expedire videbitur, confitebuntur, & hora circiter dimidia ſacrum in Oratorio facient. Sacro audito, vel facto in Cellas ſe recipiant, & Sacerdotes ferè per horæ quadrantem gratias agent.

Reliquum tempus, quod vſque ad Chori ſignum procurrit in oratione, ac lectione pia, ita inſument, vt otium non poſsit obrepere. Ne verò nimis mentis intentio noceat, orationem lectioni admiſcere, ac dum ſe intus moueri ſentiūt interquieſcere, poſtedq. lectionem repetere poterunt, vt animus ea varietate recreetur.

Signo

Signo Chori dato ad maiorem Missam, vbi canetur, vel ad horas canonicas antè prandium recitari solitas conuenient, quibus vnà cum examine conscientiæ absolutis in Cellas recedent, ibi post modicum tempus pransuri.

Expleto prandio, vel soli, vel cum assignato comite per horam circiter dimidiam manebunt, ac de spiritualibus rebus cum comite verba facient.

His peractis, si velint somno aliquantulum indulgere, poterunt, donec signum Chori detur. Post hæc in Chorum ad Nonam, seù Vesperas, pro temporum discrimine cõuenient, & à Nona expleta vsque ad Vesperas, vel si Nona antè prandium recitata fuerit, peractis Vesperis Beatiss. Virginis coronam recitabunt, & si Superiori videbitur, qui in Conuentu Nouitiatus exercebuntur, exhortationi Fratrum interesse poterunt, sed valdè rarò, & re benè pensata, personæq. exercentis habita ratione fiat, & hoc monito priùs Magistro Nouitiorum.

Reliquum tempus, quod vsque ad vespertinam orationem excurrit, orationi, ac lectioni, vt antè prandium præscripsimus, impendent.

Dato orationis signo vnà cum Fratribus per integram horam orabunt, & Completorium, si tempus ex more nostro id postulet, persoluent, in Cellasq. redibunt, aut si Completorium tunc recitari non debeat, in Cellas absoluta

luta oratione, vt antè prandium monuimus, secedent.

Cœnam deindè, aut collationem vocati sument,& si tempus id ferat,cum comite, quemadmodum de pomeridiano colloquio præscriptum est, aliquantulum agent, aut si tempus silentij nocturni accesserit, in Cellas recedent, vel in Chorum ad officium, quod tunc fortè recitabitur, conuenient.

Si vltimo Chori actui interfuerint, ibi, sin verò, in Cellis seorsum examē conscientiæ facient, expectabuntq. orationi, vel piæ lectioni vacantes solitum cubandi signum, quod Fratribus datur.

Signo dato cubabunt, & vsque ad noctem mediam quiescent, postmodumq. singulorum dierum actus, quales præscripsimus ad eundem modum, numerum, ac tēpus exercebunt.

## *Actuum pœntientiæ modus.*
## *Cap. IV.*

CVm exploratum sit, eos, qui spiritualiter cupiunt exerceri, aliquem corporis macerandi modum inire velle, necesse est, vt in hoc etiam genere instruantur.

Excepta ergò infirmitatis, vel alia eiusmodi causa per dies, quos exercitijs destinauerint, per-

perpetuo ieiunabunt, habebitur tamen ratio spiritualium exercitiorum, nam si caput debilitate laboret, vespertina refectio poterit, quoad quantitatem augeri, aut, si expedierit ad confirmandas vires, ieiunium solui.

Ter saltem in hebdomada iuxtà communem Fratrum nostrorum disciplinam, se verberabũt quandiù *Psal.* Miserere cantabitur, in Cella regulariter, & non in Communitate.

Cilicio quotidiè, vel alternis diebus vtentur, & expensis viribus, citiùsq. breuiùs, aut longiùs, latiùsq. cilicium permittetur.

Poterit etiam catenula ferrea, qua Fratres nostri, vti cõsuescunt, eis cilicij vice permitti, pro vt ei, à quo reguntur, videbitur expedire.

Victus sit parcus, vt non modo frugalitas, sed abstinentia colatur, somnus item sit moderatus, vt plus temporis, paucis ijs exercitiorum diebus, diuinis rebus tribuatur.

Sunt alij quoque actus parum laboriosi, & ad exercitandum affectum appositi, vt prostractio, genuflexio, extensio brachiorum in Crucis modum, & alij apud nos vsitati, quorum certum aliquem numerum in dies singulos ijs, qui exercebuntur, iniungere, salubre consilium erit.

Omnia tamen, quæ in hoc capite recensuimus, cum ijs, qui mortificationem Crucis Christi nondum didicerunt, difficilia videantur, ita tem-

culum redituri sint, firmiter statuant, diem nullum sinè oratione saltèm modica, puta, horæ dimidiæ, vel circiter præterire

Quod ad piam lectionem spectat, modum sedatè legendi, & vbi mouetur animus, subsistendi, ac propositum die nullo sine tam salutari pastu, lectionis nempè, animam priuandi persuadere curabit.

Modum, opera, verba, & cogitationes summo manè in Dei, ac Beatissimæ Virginis gloriam dirigendi, eamq. directionem aliquoties per diem repetendi docebit, & examen conscientiæ antequam cubitum eant, cõmendabit.

Modum actus fidei, spei, charitatis, & contritionis eliciendi docebit, & ad quotidianum eorum exercitium adhortabitur. Quæ autem ad virtutum actus producendos, & virtutes ipsas, mortificationemq. passionum spectant, ex nostra Nouitiorum Instructione peti poterunt.

Sed quod ad mortificationem pertinet, hortabitur seriò, vt propriũ iudiciũ, appetitumq. in subiugãdo, vel in rebus minimis assuescant. & si enim Viri illustres sint, & pro sæculi abusu præciosis vestibus, & lauta mensa quotidiè vtantur, in ipsismet conuiuijs, sinè vlla cæterorum nota proprio appetitui multa delectabilia subtrahere, ac spirituali merito corporales dapes condire valebunt: & idem ad pro-

por-

portionem de honoris, & commoditatis mortificatione monendi, ac peculiaria monimenta aduersus eam passionem, qua grauiùs infestantur, paranda sunt.

Consilium autem hoc tanti profectò ponderis est, vt qui ex professo illud arripuerit, inter medios sæculi fluctus christianam perfectionem fœliciter comparare valeat, nullo sæculari Principe, quantumuis negotijs intento, vel milite, vel mercatore prorsus excepto.

Inter omnia verò exercitiorum lucra, sacramentorum frequentia potissimum collocanda est; si enim hæc seriò decernatur, profectus spiritualis ex sententia successisse credendus est, omnia quippè vitia putà, iurandi, edendi, vagandi, ludendi licentia, & quauis alij præteritorum peccatorum habitus extirpantur. Nam præter sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ vim, ad eam victoriam potentissimam, subest familiaris ille ad Confessarios recursus, vndè consilia opportuna, & quotidiana remedia referuntur.

Verum non hic subsistendum est, sed pietatis opera, putà, eleemosinæ, sacræ stationes, siuè indulgentiæ, hospitalium visitatio, & eius generis alia impensè commendanda sunt. In quibus omnibus enitendum est, vt qui exercentur, proficere statuant, & aliquem modum

pro-

proficiendi certum per totius vitæ cursum tenere decernant.

Hìc autem de domestica gubernatione, de pace, de benignitate, de reddenda famulis mercede, alijsq. simillibus agendum non est; hæc quippè necessaria cum sint, ab ijs, qui ad meliora proficere cupiunt, obseruari ponimus; quod si, & his monitis egeant, vna cum alijs tradenda sunt.

## *Cætera necessaria ad obsequium eorum, qui exercentur. Cap. VI.*

COnfessarius ijs, qui exercentur, à Monasterij Superiore assignabitur expẽso personarum statu, ac necessitate; decet enim eum, à quo reguntur, nisi grauis necessitas obstet, eo munere fungi.

Qui exercitijs præerit, libros pios, cartam, cæteraq. necessaria ad spirituales actus prouidebit.

Designabitur prætereà Frater aliquis prudens, qui vasa mundet, Cellæ pauimentum verrat, prandium ad Cellam ferat, accommodatoq. suprà mensam, recedat, posteà verò antequam finiatur recreatio, referat lances, & omnia munda, & accommodata relinquat, nec vnquam cum prandet, assistat, ac ex animo eis,

quoad

quoad res corpori necessarias, inseruiat.

Deniq. quia res variæ passim occurrunt, quæ ab humana prudentia prænosci non possunt, cum quid acciderit, cui per hanc instructionem prouisum non sit, qui exercitijs præerit, Superiorem consulet, & ei obtemperabit. Quin etiam, tametsi noua non eueniant, de omnibus eum certiorem faciat, eiusq. consilijs acquiescat.

## *Modus in exercitijs Fratrum nostrorum obseruandus. Cap. VII.*

IDem, quod in Superioribus capitibus erga alios vniuersè præscriptum est, à Fratribus nostris, cum de Superioris venia exercebuntur, obseruari debebit, exceptis ijs, quæ statum sæcularem concernunt.

Quapropter, qui eos reget, ingenium explorabit, meditationes, quas ad rẽ magis esse perspiciet, assignabit, quotidiè illos visitabit, rationem exiget de culpis admissis, admonebit, ad maiorem profectum diriget, tempus in horas diuidet, pœnitentiæ opera præscribet.

Vnum tamen commune præceptum obseruabit, vt scilicet, maiorem profectum à Fratribus nostris, quam ab externis requirat, quem certè profectũ non in austeriore corporis morti-

tifi-

tificationem ponet, quæ paucis exercitiorum diebus suscipitur, ac citò euanescit, sed in mutatione morum, vt qui loquax erat, taciturnus perseueranter euadat, qui parum modestus, modestiæ studiosissimus fiat, qui in oratione languidus, ardentissimè orare discat, & in hunc modum vitia reliqua extirpare, ac virtutes inducere curet.

Porrò doctrina hæc fieri debet tanti, vt nulla, vel altior, vel compendiosior existimanda sit, nam ob eius neglectũ, vel imperitiã; exercitia, vel parum salutaria, vel interdum inutilia sunt: quapropter eam impensissimè commendamus.

Quoad regulares actus pertinet, si in Conuentu sit Eremitorium separatum, vt alicubi fieri solet, ibi regulariter fiant exercitia, in quo, si qui facit exercitia, sit Sacerdos, celebrabit, si non, audiat sacrum, si facilè fieri poterit, & in Oratorio Eremi faciat orationem mentalem communem, & recitabit officium diuinum, examinabitq. conscientiam, eo prorsus tempore, quo tales actus fiunt in Conuentu, ita vt Matutinũ recitet, quando in Choro recitatur, quo finito maneat in oratione, donec perficiatur illa media hora orationis post Matutinum fieri solitæ, & ad quoscunque actus Chori pulsatur Campana Conuentus, ipse campanulam Eremitorij similiter pulsabit.

Prandium sumet in Cella, quò finito, tempore recreationis, tùm meridianæ, tùm vespertinæ, si habeatur, poterit deambulare in hortulo Eremitorij, vel aliquod opus manuum facere, aut legere aliquem librum pium potiùs historiæ spiritualis, quàm orationis, ne caput ledatur, & etiam parum somno indulgere.

Neminem prorsus, nisi Superiorem, aut directorem alloquatur, sed si aliqua re indigeat, scribat, & ostendat Fratri ad eius ministerium destinato, qui si signo, vel scripto poterit respondere, non faciat verbis, & ideò si interdiù aliquid, quod sine incommodo vsque ad tempus, quo fertur ei prandium differri non possit, occurrat, duobus, vel tribus ictibus pulset cāpanulam, qua audita, Frater, qui ad eius ministeriū destinatur, accurret, & quòd opus fuerit, præstabit, ad quod Superior designabit aliquem Fratrem sedulum, ac modestum, qui singulis diebus tempore examinis conscientiæ meridianæ, & post orationē vespertinā feret ad Eremitoriū prandiū, & cœnam, seù collationem, & mòx redibit ad prādiū, deindè antè finē recreationis deferet lāces, quos, qui facit exercitia, accomodatos habebit propè, vel extrà portam, vt facilè accipi possint à Ministro.

Antequam eat ad exercitia, & fini[illegible] [illegible]um reuertitur ad Conuētum, accipia[illegible] [illegible]edictionem Superioris.

Tem-

 384

Tempore exercitiorum non redibit ad Conuentum, nisi vocatus, nec vocabitur, nisi cum magna occasione, & ad Capitulum, si sit Conuentualis, & in eo Capitulo debeat proponi aliquis Nouitius, vel aliquod negotium tractari, tunc enim finita exhortatione, ac culparum correctione, vocabitur ad Capitulum, extrà hos casus non intersit Capitulo.

Si in Conuentu non erit Eremitorium, fiant exercitia in aliqua Cella separata, & si facilè fieri potest, Sacerdos faciat, non Sacerdos, audiat Sacrum in Oratorio secreto.

Quoad actus orationis, & Chori frequētandos, Superior se accomodet spiritui, ac deuotioni illius, qui facit exercitia. Ad Capitulum non veniet, nisi in casu supradicto, nunquam intersit recreationi, nec prādeat in Refectorio, sed in Cella, & ideò erit aliquis destinatus, qui curet singulis diebus ei ferre prandium, vt suprà.

Silentium strictissimum seruabit etiam cum Fratre ad eius ministerium destinato, vt dictum est.

Licet præcipuus fructus exercitiorum in interiore homine quęrendus sit, externæ tamen mortificationes, & pœnitentiæ, hoc maximè tempore iuxtà cuiuslibet vires, necessariæ sunt. Quapropter toto tempore exercitiorum, etiam si secundum Regulam iejunare non teneamur,

decens esset, vt qui facit exercitia, ieiunaret, exceptis tamen diebus Dominicis. Similiter his diebus, quibus in Communitate non fit disciplina, solent, qui faciunt exercitia, illam facere, aliosq. pœnitentiæ, & mortificationis actus exercere, & Fratres frequentius communicare, & aliquando singulis diebus, nihil tamen, nec quoad communionem, nec quoad pœnitentias, fiat sine licentia Superioris, vel Confessarij, aut Directoris, si ei hoc Superior commiserit.

Tempore exercitiorum solet fieri mortificatio extraordinaria, quæ non est prætermittenda, sed vna tantum fiat.

## *Instructio ad Collationem spiritualem Feria Sexta habendam.*

AD collationem spirituale͂, singulis ferijs sextis secundum Constitutiones faciendam, conueniant omnes Fratres, etiam Nouitij cum Sacerdotibus in locum à Superiore ad collationem destinatum.

Curet Prior, & antiquiores Sacerdotes, hoc præsertim die, recreationi interesse, vt sua presentia collatio fructuosiùs fiat.

Affigatur materia collationis, quę sit materia aliqua spiritualis, veluti de Oratione, mortifica-

catione,alijsq.similibus à Superiore,vel ab eo, cui ipse demandauerit,designato, fer. 3. aut 4. in loco, vbi facilè ab omnibus legi possit, vt se queant omnes præparare.

Parùm antè finem dimidiæ horæ Præsidens accepta carta proponat materiam,vel aliquando interroget (experimenti gratia,) quæ sit materia collationis, vt sic omnes habeant curam legendi, & se præparandi, antequam eant ad collationẽ, petatq. sigillatim, quid quisque sentiat circà illam materiam; responsionemq. ipse parum, simpliciter tamen sine fuco, sed vtiliter dilucidabit, nullus alius sine venia Præsidis, vel dilucidet, vel declaret, nisi fuerit Prælatus,aut hospes talis,cui ex reuerentia, & vrbanitate Præses deberet rogare, vt ipse collationem dirigeret, qui licet non acceptaret, posset,& deberet aliquando aliquid addere.

Omnes Fratres,cum dicunt circà illam materiam,debent genuflectere,& si Prælatus præsideat, regulariter semper dum dicunt manebunt genuflexi, si alius præsideat annuente Præside possunt surgere, & sedere, Sacerdotes verò, licet genuflexi non semper debeant permanere,decorum valdè esset,vt regulariter genuflecterent, maximè Prælato præsidente.

Caueant omnes, ne in his collationibus subtilia, aut scolastica, sed moralia deuotè introducant.

Affigatur hæc instructio in Aula Communitatis, vel vbi Prior decreuerit.

## *Instructio ad reddendam rationem conscientiæ, & Spiritus Superioribus.*

INtelligant singuli, dum rationẽ conscientiæ sunt reddituri, quanti momenti Sancta Mater Nostra Teresia id duxerit ad maiorem diuinæ bonitatis gloriam, vt subditi magis in spiritu cum gratia vberiori proficiant, ac tanto maiore cum diligentia, amore, & sollicitudine iuuari, & à periculis conseruari possint.

Circà quod, post mortem, cuidam sui ordinis Religioso fecit sequentem reuelationem.

*Ad perfectionis obseruantiam maximè spectat Prælato, aut Superiori interioris sui rationem reddere, & ad hoc Religiosi, & Religiosæ Constitutioni pareant, quæ iubet, vt singulis mensibus hoc (nihil omninò celando) præstetur, quando in hac re erit defectus aliquis, verus spiritus, ac Religionis nostræ feruor minuetur.*

Ista omnia sunt verba S. M. N. valdè notanda.

Capita verò, quibus conscientiæ ratio reddi debet, hæc ferè erunt, ex quibus, cum ea retulerint, quæ ad plenam sui manifestationem di-

 
dicenda putarint, petant à Superiore, vt eos interrogando iuuet, ac suppleat, si quid esse iudicet, quod ad maiorem Dei gloriam, & sui notitiam scire velit.

An viuat contentus iuxtà suam vocationem.

Quomodo se habeat circà Obedientiam, etiam intellectus, paupertatem, castitatem, & vsum aliarum virtutum, & quarum præcipuè studio intentus sit.

An sentiat aliquas animi perturbationes, aut tentationes molestas, & de facilitate, seù difficultate, & modo eis resistendi, & ad quos affectus, vel peccata sit magis propensus, & incitatus.

An contra Constitutiones, vel Regulam aliquam, vel ordinationem Superiorum firmum iudicium habuerit, vel contrà eam disputauerit.

Quid sẽtiat de nostro Instituto, & de medijs, quibus vtimur ad finem nostræ Religionis consequendum.

Quomodo spiritualibus rebus sit affectus, quantum temporis orationi tribuat, & num vocali, aut potius mentali iuuetur, & cui plus temporis tribuat, & quem modum in orando teneat.

Num in vsu rerum spiritualium consolationem, & deuotionem habeat, an verò contra-

desolationem, ariditatem, & vagationem animi patiatur, & quomodo in his se gerat.

De fructu, quem ex Communione, & Confessione, Examine, & alijs exercitijs spiritualibus percipiat.

Num post vltimam rationem conscientiæ, quam reddidit, maiorem, vel minorem fructum fecerit, & quem animum experiatur ad perfectionem consequendam.

Quomodo obseruet, quæ ex Constitutionibus, & Regulis, tum communibus, tum officij sui ad eum pertinent.

De mortificationibus, pœnitentijs, & alijs exercitationibus, quæ faciunt ad spiritus profectum, & in specie de preparatione ad iniurias, & ad alia, quæ ad Christi Crucem pertinent ferenda, atque de eorum desiderio.

Quomodo ex Religiosorum conuersatione proficiat in Domino, & an alicui sit plus familiaris, quam alijs.

An auersionem animi sentiat ab aliquo, & quomodo sit affectus ergà Superiores.

Quantum temporis, per diem extrà præsentiam Dei moretur, & quomodo vtatur frequenter aspirationibus, & iaculatorijs orationibus.

De actuum directione, an scilicet mane, & ad principium cuiuscunque actionis, & si actio est aliquantulum longa in ipsamet directio-

ctionem faciat,& oblationem iuxtà Instructionem Nouitiorum.

Item quomodo sæpè exerceat paruas mortificationes, & an ad minùs quotidiè certum numerum expleat, scilicet septem, vel octo supplendo serò, antequam cubitum eat, si per diem oblitus est.

An fecerit exercitia spiritualia annua iuxtà Constitutiones.

## *Instructio Conferentiæ casuum Conscientiæ.*

Die, & hora à Superiore designanda ad sonum campanulæ, vel tabellarum, vt Superiori videbitur, conueniant omnes Sacerdotes, exceptis scolaribus in locum ad conferentiam casuum conscientiæ habendam, designatum, vbi Præses dicet *Antiph.* Veni sanctæ Spiritus,&c.cum oratione,vt in principio orationis mentalis.

Erit materia per Priorem, vel per alium ab ipso designatum determinata, dubium vnum, vel alterum loco publico affixum cum nomine illius, qui dubium debet proponere, & vt possit se præparare, affigetur sequenti die post vltimam conferentiam.

Cui incumbit, illo die, tractabit dubium dilucí-

lucidè, adducens auctores, & rationes magis neruosas.

Posteà si aliquid alicui occurrat super doctrinam traditam, dubitando magis, quàm impugnando proponat, soluat regulariter, qui dubium tractauit, aut Præses, seù alter ex Præsidis commissione, deindè alij etiam interrogabunt, si quid occurrerit, & similiter soluetur.

Materiæ parum pudicæ tractentur, quoad fieri poterit, in vniuersali, & modestè.

Caueant ab impugnatione, à contentione, à curiositatibus, à verbis ad rem non attinentibus, & Præses hæc omnia impediat, & tollat de medio, quòd, vt melius fiat, curet Prior nunquam abesse à conferentia.

Non loquantur confusè, sed vnus post aliũ, & ex venia Præsidis, auscultent mutuo sese, nemo dubia decidat non interrogatus, nemo interroget, quoad vsque non habeat veniam, nemo dubia, vel decisiones aliorum impugnet, irrideat, vel paruipendat.

Si quis fuerit impeditus, tempestiuè ad moneat Superiorem, vt possit alium loco sui sufficere.

Materiæ tractentur consecutiuè vsquequo sint omninò benè digestæ.

Affigatur hæc instructio in loco vbi fiunt conferentiæ.

In-

## *Instructio pro mortificationibus extraordinarijs, & de modo, quo Definitores Prouinciales in Capitulo, & Refectorio debent sibi imponere culpas.*

QVi ad mortificationem extraordinariam veniam habuerit, tempore examinis conscientiæ in loco ad hoc destinato se præparabit, ita vt antequam secundum ferculum ministretur, ingrediatur Refectoriũ.

Curet Superior, ne mortificationes extraordinariæ fiant coram extraneis, nisi valdè rarò, & re valdè considerata.

In vno prandio non fiant plures mortificationes extraordinariæ ex ijs, in quibus culpæ dicuntur.

Circà modum se præparandi, seruetur consuetudo antiqua, ita vt non introducantur noui habitus, & ceremoniæ, feret tamen, quicumq. faciet mortificationem, paruum Scapulare, ita vt aliquo modo appareat.

Nullus dicat culpam aliquam in particulari occultam, nisi de expressa Superioris venia, quæ non dabitur, nisi cum magna causa, & re maturè considerata, & omnes breuiter, deuotè, mo-

modestè, & cum humilitate, & sine rethorica tres, vel ad summum quatuor culpas dicant, & veniam, orationesq. ab omnibus petant.

Cum Prælatus aliquis inferior voluerit mortificationem extraordinariam exercere, consultum esset, vt si Prælatus aliquis Superior, qui præsidere debet, adesset in Conuentu, expectaret, donec præsideret ille in Refectorio, Ingrediente igitur Prælato in Refectorium ad mortificationem extraordinariam, omnes Religiosi, excepto Superiore Prælato, si adsit, assurgent, stabuntq. donec fiat signum à Præsidente, qui siuè sit Prælatus, siuè non, aliquod signum ingredienti faciat, vt dicat, modestè tamen, & humiliter, tunc sedentibus omnibus, qui mortificationem facit, dicat suas culpas, vt moris est. Præses autem breuiter, & humiliter, maximè si sit subditus aliquod verbum excusationis potiùs, quàm reprehensionis dicat, petatq. vt oret pro omnibus, simulq. orationes communes offerat, surgentibusq. omnibus, Prælatus discedet.

Si verò Reu. Adm. P. N. Præpositus mortificationem aliquam exercet, Definitor Generalis antiquior, qui aderit, etiam si tunc non præsideat, in Refectorio præsidentis vices gerat, & omnes stabunt ab ingressu, ad egressum vsque.

Si Definitor Prouincialis, aut Prior, aliquis

quis hospes fecerit mortificationem aliquam extraordinariam, sufficit, vt omnes assurgant ingredienti, & egredienti.

Qui pauperem debet facere in Refectorio, obtenta à Superiore venia post ministratum primùm ferculum ingrediatur Refectorium sinè cappucio, & scapulare magno, sed cum paruo super habitum, accinctusq. erit aliqua rudi corda, nec feret regulariter sandalia, licet in hyeme propter frigus non prohibentur, feretq. in manu lancem mundam, & stans circà medium Refectorij petet voce mediocri, & humili eleemosinam sibi dari amore Dei, & accedens ad Præsidem, aut ad illum, qui primo loco sederit, genuflectens porrigit lancem, & si ei aliquid detur, dicat submissa voce Benedictus Deus in donis suis, si autem nihil detur (quod aliquando, ad exercitium humilitatis conueniret non dari) dicat, Deo gratias, posteà, siuè à primo accipiat, siuè non, accedat ad vnum, vel alterum, & faciet similiter, deindè genuflexus propè medium Refectorij ea, quæ mittuntur ex eleemosina, more pauperum, cum gratiarum actione comedat, hi autem, qui aliquid pauperi dare voluerint, significent ministro, qui monebit Præsidem, & id, quod ipse iniunxerit, ministrabit, non tamen aliquid ex Culina immediatè, vt datur Communitati, porrigetur. Sed Præses ex duobus,

bus, vel si placuerit ex tribus, qui suã portionem offerunt, iniunget ministro, vt faciat vnam portionem, vel plures, si plures dentur Communitati, & hoc detur. Si autem ea, quæ ministrantur pro ferculo, permittãt, vt super frustrum panis aliqua pars, ponatur decens erit, vt sic ad experimentum paupertatis aliquando detur. Poterit tamen pauperi ministrari panis, non tamen de canistro ordinario, sed à Ministro; vinum verò infundatur, vt alijs, de licentia Præsidis, culter etiam, & coclear poterit apponi, non verò mantile, postquam pauper comederit, erigat se genuflexus, donec à Præside signum detur, quo facto, osculata terra surget, & dicat submissa voce laudetur Iesus Christus, & recedet. Indutus autem more solito redeat ad osculandum Præsidis Scapulare.

In Capitulo Conuentuali Definitor Prouincialis antiquior, qui aderit, dicat illa verba Reu. P. &c. quibus dictis, si ibi sint Sacerdotes hospites, seù non Capitulares, sedent omnes Capitulares, & dimissis hospitibus, vel si non sint, dictis illis verbis Reu. P. &c. Definitor, qui vult sibi imponere aliquam culpam, genuflectit solus, & alij sedeant, & rogatus à Præside dicet suam culpam, acceptaq. monitione, osculata terra de more surget, & dum ipse osculatur Scapulare Præsidis, omnes assurgent.

In

In Refectorio si Definitor Prouincialis vult culpam aliquam dicere propriam, postquam Zelator dixerit, quæ notauerit, ipse cum alijs genuflectet, quem primo Præses roget, quid dicat, & ei respondeat, & paruam pœnitentiam, vt moris est, imponet, iubeatq. sedere, quo surgente omnes, qui sedent, surgent, & finita culparum correctione cum alijs ad osculandum Prioris Scapulare ibit.

## *Instructio pro Recreatione.*

CVm recreationis tempus sit quædam Monasticæ austeritatis intermissio, ita Fratres nostri ea vti debent, vt Dei præsentiam, timorem, & amorem obliuioni non tradant, singulari quippè modo Fratrum recreationi, sicut, & cæteris disciplinæ regularis actibus, Deus præest.

Meminerint, cum in recreationis locum conueniunt, longè aliud esse recreari, quàm appetitui sensuum inseruire; illud enim mos Sanctorum est, hoc verò nunquam licet, cum contrà virtutis cultum nunquam agere liceat.

Postquam ergò in recreationis locum ventum est, sinè strepitu in suo loco quisque modestè sedeat, & hilarem semper vultum exhibeat.

Ne prorumpant in verba ordine præpostero, sed qui primo loco sedet, primùm loquatur,

tur, & alios exhilarare, & ad moderatè loquendum inducere curet.

Vno, & præsertim Præside loquente, cæteri sileant, & beneuolè audiant, neque loquentem præmaturè interrumpant, vel cum alijs interea verba faciant.

Si minùs placeat, quod ab aliquo dicitur, neque verbis, neque nutibus id cæteri significent, sed gratum sibi accidere demostrent.

Nihil contentiosè loquantur, sed si quid contrà aliorum dicta, vel facta sentiant, nunquam externè significent, nisi fortè, qui præsidet, aliquid improbare debeat, ne alijs noceat.

Nihil ibi proponant, quod seminarium discordiæ sit, cuiusmodi sunt omnes ferè doctrinæ, quęstiones, necesse quippè est ingenia diuersa mutuo discrepare, ac proindè aliquod charitatis detrimentum pati.

Si quis sententiam suam rogetur, quæ alijs, qui priùs locuti sunt, contraria sit, ita eam proferat, vt alios minimè improbet, sed potiùs se cedere paratum ostendat.

Nihil ibi sæculare Fratres nostri admittant, quod iactantiam, vel aliorum despectum redoleat.

Bella, lites, ambitionem Principum, & eiusmodi alia, quæ animum extrà claustra vagantem indicant, ibi non referant, nisi fortè

vt

vt pro sæculi malis Dominum deprecentur, 410
vel alia honesta de causa.

De diuersarum nationum comparatione non agant, & suam quisque nationem alijs minimè præferat, odiosa quippè nationum, & personarum comparatio est.

Ea recreationis monasticæ propria sunt, quę ad spiritualem profectum attinent, vel quæ cum indifferentia sint, sine vllius tędio, vel nocumento delectant.

Huiusmodi sunt sacræ Scripturæ interpręţationes, exempla Sanctorum, historia, eruditio varia, & alia similia, vndè nulla contentio oriri possè videatur.

Hæc, & alia eius generis in recreationis loco, ita à Fratribus nostris proferenda sunt, vt quamuis doctrina præstent, non alios docere, sed oblectare velle videantur.

Non est præter monasticam disciplinam in eo loco aliquid facetè dicere, sed qui dicit, affectationem, qui audiunt, risus dissolutionem vitent.

In omni recreatione, sed in extraordinaria præsertim, vbi aliquid solito amplius permittitur, assuescant Fratres nostri moderatæ lætitiæ, & priuata colloquia, præcipuè, qui Sacerdotes non sunt, accuratè fugiant.

Cum genus aliquod honesti ludi ad corpus exercendum permittitur, ita à Fratribus su-

ſcipiatur, vt animus non occupetur, nullumq; iracundiæ motum præſeferant.

Omnis familiaritas ſingularis cauenda eſt, quapropter ſtudeant Fratres noſtri in recreationis loco, seù ſedendum, seù ſtandum, seù ambulandum ſit, cum aliquo ſingulari Fratre, non ita verſari, vt ab eo nolle diſcedere videatur.

Modeſtia in externis actibus ſemper, ſed eo præſertim tempore, colenda eſt, quo animus ab orationis ſtudio in recreatione aliquantulum relaxatur, propterea Fratres noſtri nihil indecorum admittant, cuiuſmodi eſſet alterius manum attingere, alterum alteri, cum ſedet, nimis adhærere, ac eius generis alia, quæ quamuis alijs liceant, à Religioſis vſurpanda non ſunt.

Cum Præſes aliquid iniungit, quod ad Fratres exhilarandos conferat, ita ab eo, cui iniungitur exerceri debet, vt neque modeſtiæ metam excedat, neque ob pudorem aliquid fingat, ſed ſincerè ſtatim obtemperet.

Si aliquãdo Frater quiſpiam ob paſſionem, seù tentationem vllam moleſtia graui vexetur, caueat, ne in recreationis loco vultum mutet, tunc præcipuè cum in recreatione ipſa, vel paulò antè Superior aliqua correptione, seù mortificatione vllum exercuit.

Cum aliquis loqui permittitur, caueat, ne

ex

ex rusticitate, seù tarditate alios offendat, vel ex verbositate molestet, sed sincerè, & modestè loquatur.

Somni, vel distractionis signa in recreatione vitanda sunt, alterum enim pigritiæ, alterum neglectus indicium est.

Sic in eo loco animus compositus esse debet, vt quicquid boni dicitur, in Cellam reportet, quod minimè necessarium est, obliuioni tradat.

Denique, vt recreatio tota fructuosior sit, Fratres nostri ipso recreationis tempore aliquot actus aspirationis in Deum intercalatos exerceant; oportet quippè semper orare, & nunquam deficere.

## *Instructio scribendi literas.*

APponatur Crux, Iesus Maria, Pax Christi, vel pax, & gaudium Spiritus sancti, subscribatur Indignus, vel Humilis seruus, si Superioribus, & Filius, Fr. N. Prior, vel Supprior,, vel Sacerdos, vel Chorista, vel Donatus, si verò scribatur alicui, cui scribens est valdè notus, sufficiet scribere Fr. N. si scribatur Patribus, dicatur Adm. Reu. P. in Christo Obseruandiss. N. Si Superioribus, addatur nostro, quod decens est obseruari, non solum cum Superioribus actu, sed cum illis, qui aliquando

fuerint Superiores Cōgregationis, vel Prouinciæ ab illis saltē, qui fuerunt subditi: Fratribus verò. Carissimo in Christo Fratri N. nec aliæ ceremoniæ, vel vrbanitates inducantur.

Nullus, exceptis Generali, Definitoribus, & Procuratore generalibus, Prouincialibus ac Visitatoribus regulariter suprascriptionem faciat per Secretarium, sed quilibet sua manu, maximè quando Superiori scribit, suprascriptionem faciat.

Ob paupertatis cultum scribant etiam Generali in dimidio folio, & etiam in partibus remotis in quarta parte folij, si negotij longitudo, aut externarum personarum dignitas aliud non exigat, & nisi fuerint plures literæ, mittantur sinè operimento, vulgò coperta, & claudantur more Italico ordinario.

Nullus Religiosus alteri, etiam Superiori scribat literas ad hoc solum, vt præcentur fœlicia festa.

Non scribantur literæ, quæ rumores, & vana nuncia contineant, nec ea, quæ in aliquo Conuentu accidunt, scribantur ad alium, nec aulicæ, & fucatæ officiositates etiam ad Superiores, ipsiq. Superiores, & Definitores circà hoc inuigilent reprimentes illos, qui in hoc deliquerint.

In scribendo de alijs, siuè Sæcularibus, siuè Religiosis curent, ea vti prudentia, atque arte,

te, vt si fortè literæ in alienas manus incidant, nullus offendi possit, aut scandalizari, quod omnibus Religiosis maximè cordi esse debet.

Nullus subditus mittat epistolas, nisi in plico communi Superioris, nec eas tradat mittendas sæculari, nisi de expressa Superioris venia.

Non mittant literas sub plico Definitorum, nisi de expressa venia Prioris, nec sub plico Generalis, vel Prouincialis, nisi de eorum expressa venia, vel monentes illos, Priorem non vidisse epistolas.

Si Domo abest Prior, & est reuersurus eadem die, Præses non det licentiam scribendi, nec aperiendi, nec mittendi literas, nisi necessitate valdè vrgenti, & tunc de consensu Patrum trium antiquorum, & in reditu teneantur monere Priorem.

## *Instructio ad Monasteria, & Ecclesias nostras construendas.*

QVi fabricis præficiuntur, diligenter aduertant, ne in instruenda Domo regulas, ac mensuras nostrarum Constitutionum excedant, sed ad vnguem delineamentum obseruari faciant.

Curent, vt omnia paupertati nostræ con-

gruant, vndè nec in fenestris, nec portis, nec etiam in fornicibus labores superfluos admittant, sed omnia nitida, fortia, non nimis curiosa in domo pauperum introducant.

In Ecclesia inuigilent, vt taliter construatur, vt locus pro confessionarijs ita pateat, vt & Confessarius, & pœnitens facilè videri possint.

Nullo modo in Cappellis angulos, nec oratoria inter capellam, & capellam, quæ omnibus non pateant, permittant.

Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, siuè in summo Altari, siuè in alio pro communione sæcularium alicubi apponatur; taliter fiat, vt nullo modo ab homine auferri possit, & si tale aliquando propter instantem necessitatem permittendum sit, aliquo ferro taliter Altari adhæreat, vt nemo ipsum, nisi auferendo ferrum tollere valeat.

Altare maius habeat 12. aut 14. vel circiter palmos longitudinis, latitudinis 3. altitudinis verò 4. cum medio, supedaneum erit ad mensuram Altaris, latitudinis verò 4. cum dimidio.

Palmus, de quo hic agitur, erit ille, quo vestes metimur iuxtà Constitutiones.

Altaria minora habebunt longitutinis 9. cum quarto, latitudinis 3. palmos.

Omnia Altaria habebunt saltem vnum gradum, vbi Crux, & Candelabra ponantur, antèq

erit

erit supedaneum, & in summo Altari præter supedaneum erunt duo gradus, aut ad minus vnus.

In Presbyterio, aut in Choro fiat sepulchrum pro nostris Religiosis, & in qualibet Capella fiat etiam pro Patrono, aut præsente, aut futuro.

In Ecclesia verò fiant tria, vel quatuor sepulchra communia pro sæcularibus.

Subtus Sacristiam fiat cauea ad euitandam humiditatem, quæ solet corrumpere armaria, & etiam paramenta, & si fieri non poterit cauea, saltem eleuetur pauimentum vno palmo, & taliter accommodetur, vt humiditas non possit nocere.

Portæ, quæ sunt ad Plateam, fiant fortes, licèt non nimis curiosæ, & elaboratæ.

Curent diligenter vitare omnes prospectus tàm ad plateas, quàm ad Domos, seù hortos vicinorum, tùm è Cellis, tùm ex alijs fenestris, quod si aliquando aliqua fenestra, quæ habeat tales prospectus, euitari nō posit, fiat ita altè, vt non posit indè facilè aliquis respicere.

## *Instructio pro Seminario Missionum.*

Regulariter non mittantur ad Seminarium, qui spiritum missionum non habent.

Curabit Prior in exhortationibus, & colla-

tionibus missionum spiritum Religiosorum, cordibus imprimere, & quod legantur in mensa, vel recreatione literæ annuæ, quæ ex varijs missionum locis à nostris Religiosis mittuntur, actaq. præcipuè recentium martyrum.

Qui ad Seminarium mittuntur, elapso anno, tempore, quo fit renouatio votorum, poterunt emittere votum eundi ad Missiones in hanc formam. Insuper promitto, me ad quamlibet missionem pro cõuersione Infidelium, seù Hæreticorum iturum, cum Obedientia id mihi iniunxerit; & nomina vouentium, votumq. scribantur in libro peculiari, qui seruabitur in Archiuio Conuentus, sed in Seminario Romano, elapso anno, in Capitulo Conuentuali emittent votum huiusmodi.

Prior, & Supprior poterunt ad aliorum animos excitandos idem votum emittere, reliqui autem non studentes, & Donati, sine expressa licentia Superioris publicè eiusmodi votum non emittant.

Fratres, omnes qui in Seminario moraturi sunt, instruantur linguarum peritia, controuersiarum doctrina, & alijs, quæ ad errores Infidelium, & Hæreticorum repellendos, & catholicam veritatem confirmandam, & mores etiam componendos, opportunè videbuntur.

Curet Superior ita Religiosorum studium, & spiritum in animarum salutem dirigere, vt

non

non obliuiscantur potioris, & principalioris obligationis, quę ex vi Regulę, & proprij instituti nostri tenemur ad studium orationis, & contemplationis; caueantq. ne ex accessorio principale, & ex principali faciant accessorium.

Cum verò his, qui missionibus incumbunt, multæ sese offerre soleant occasiones, in quibus, nisi sint in virtute benè radicati, & fundati, facilè ruere possunt; probet Superior spiritum, & virtutem singulorum varijs experimentis, paupertatis, patientiæ, humilitatis, contemptus, &c. vt ijs veluti præsidijs ad maiora certamina paulatim disponantur, & simul manifesti fiant, qui verè ad tantum opus idonei sint, de quo monebit suo tempore Superiores, ad quos pertinet, missiones facere, vt melius, & electius fiat electio mittendorum.

Opportunum etiam esset aliquando honestæ recreationis, & deuotionis gratia repræsentare Tyrannum aliquem fidei impugnantem, tormenta minitantem, & martyrem respondentem, & se tormentis exhibentem, vt moris est apud nos.

In-

## *Instructio pro Conuentu Professorum instruendorum, seù educandorum.*

IN hoc Conuentu Magister professorum potest esse alius à Suppriore, qui à Definitorio Prouinciali eligetur, qui Fratres in Dormitorio clauso educabit, & ipse in eorum Cellas, & è contrà ingredi poterunt.

Non habebit Socium, qui aliquam auctoritatem exerceat in Fratres.

Singulis hebdomadibus bis Fratres conuocabit, semel pro exhortatione, & semel pro correctione culparum, & reddenda ratione præsentiæ Dei, &c. & eos non solum in Oratorio, & priuatim, sed etiam, si præsideat, coram communitate corripiat, & instruat.

Det operam Magister, vt singulis hebdomadibus peculiarem virtutem eligant, & colant, Deiq. præsentiam præ oculis habeant, nec à bonis moribus, quos didicerant, recedant.

Illorum confessiones audiat, & de exercitijs internis, & externis rationem exigat, & denique sic illos in Dei timore, & amore continere curet, vt à Nouitiorum feruore, quoad fieri poterit, minimè discrepent. Et ideò ad coronam Beatæ Virginis post Nonam, vel Vesperas pro diuersitate temporum. Ad Vesperas Dulcissimi

mi nominis Iesu Ferijs Sextis recitandas conuenire eos faciat, & similiter post Sub tuum præsidium ad benedictionem accipiendam eos in Oratorio recipiat, non tamen accedant pręsente Priore, vel alio Superiore, sed expectent, donec recedent.

Post Matutinum facient Fratres mediam orationis horam, & dicent Litanias Beatissimæ Virginis.

Solus Prior, vel Superior Domus poterit dispensare cum Fratribus in ieiunio, & dare licentiam non interessendi actibus Communitatis, nec ipsi poterunt mortificationem extraordinariam sinè eiusmodi Superioris licentia exercere, pro alijs verò mortificationibus, ac pœnitentijs secretis sufficiet licentia Magistri, nisi Superior expresse prohibeat.

Curet Superior, quantum fieri poterit, ne Fratres in illo primo anno professionis, præcipuè iuniores, foràs mittat.

## *Instructio recenter Professorum.*

PErsuadeant sibi Professi Fratres, quicquid intrà probationis annum præstitere, pro nihilo ducendum, & à professionis die nouam, purioremq. vitam incohandam. Profectò Nouitiatus simile quiddam est Declamantium exercitio, quod serijs, publicisq. orationibus per-

præmitti consueuit. Præludia sunt, quæ in anni prioris cursu Fratres exercent, status verò professorum serium, graue, grandèq; opus est. Quo circà enitendum est, vt quæ Nouitij præluserunt, iam professi perficiant.

Fratres igitur Professi quemadmodum vitam cęperunt ex orationis, & mortificationis studio contexere, ita prosequantur, caueantq; ne quidquam eorum, quæ bono animo, firmoq; proposito exercuere, prætereant, qua in re totiùs perfectionis monasticæ vis consistit, cum perspectum sit, bona cępta, si ad finem vitę perseuerent, tenaces obseruatores suos perfectos efficere.

Non modo communis, ac Regularis vitæ fidissimi obseruatores sint, verùm etiam opera supererogationis, quæ sub Magistri disciplina præstare assueuerunt, constantissimè exequantur, hoc enim primùm Angelus Satanę persuadet, vt supererogare desistant, moxq; hoc prę lio victos ad necessariam status obseruantiam omittendam impellit.

His ergò diabolicis conatibus sese opponāt professi Fratres, & ad noua, & maiora semper se ipsos excitent, & disponant. Inter alia verò ista quatuor monita tenacissimè obseruent.

Vt diebus singulis Professionem renouent.

Vt præsentiæ Dei studiosissimi sint adhibitis memoriæ remedijs.

Vt

Vt certò, putà septenario numero, mortificationum, se in exiguis saltem rebus quotidiè exerceant.

Vt vbicumque fuerint, cum Superiore tanquam cum Nouitiorum Magistro versentur.

Hæc quippè quatuor monita ea sunt, quæ animas eorum memores ad monasticæ perfectionis culmen facilè perducunt.

## *Instructio Professorum, qui è Nouitiatu in alia Cænobia migrant.*

QVandiù recenter Profesſi inter Nouitios promiscuè versantur, & eodem prorsus modo, ac illi reguntur, timendi causa non subest, feruor quippè ille, & cōceptus æmulatione calor professos alit, & promouet, at transitus ille ad alia Cœnobia, vbi exercitia Nouitiorum desunt non leuis causa timoris est, experientia nempè constat, nonnullos Professos, qui montes aureos pollicere videbantur, loci mutatione animum quoque mutasse, atque à concepto Spiritus sancti calore deferbuisse.

Hoc ergò grande malum Profesſi Fratres præcauere curent, quod præstabunt, si instructionem recenter professorum, & præsertim quatuor illa monita, quæ in ipsius calce recensen-

sentur, fidelissimè obseruent, præcipuè verò quartum, scilicet, vt cum aliorum Cœnobiorum Superioribus eodem prorsus modo se gerant, ac si illi Magistri, ipsiq. perenniter Nouitij forent. Quod sanè monitum totiùs Monasticæ disciplinæ complexio est, siuè de passionibus subiugandis, siuè de parandis virtutibus, siuè de tentationibus propulsandis, siuè deniq. de rerum diuinarum studio tuendo sermo fiat.

Et si verò quatuor illa monita ad perfectionem parandam opportuna, simulq. ad fidam, diuturnamq. obseruantiam prudēti mediocritate temperata videantur; opus tamen habent noui Professi peculiaribus insuper adiuuari consilijs, quæ ipsi fortassè ex illis, velut fontibus deriuare nescirent.

Coerceant effrænem quemdam affectum aliò migrandi, qui recenter Professos infestare solet, nec de propria commoditate solliciti sint, sed eo prorsus modo, ac tempore, quo abire iubentur, accepto Breuiario, apostolico more discedant, nisi aliter Superior decernat. Viaticum non quærant, sed spem totam in diuina bonitate collocantes eleemosinas mendicare constituant.

Per viam alacriter, ac modestè, sine vlla contentione procedant, instructionemq. iter agentium ad vnguem obseruent, & statim, ac

per-

peruenerint eo, quo migrant, Superiori suo ita se totos humillimè tradant, ac si eo die è sæculo in Claustrum se abderent, & inter Nouitios recenseri inciperent.

Caueant, ne aliquid noui nuncient ex ijs, quæ alibi aguntur, nisi à Superiore interrogentur, neque scioli sint, ea, quæ in Cœnobio fiunt, comparatione eorum, quæ didicere, reprehendentes, vel interpretantes, sed omnia simplicissimè accipiant, suiq. curam gerant.

Confestim aperiant Superiori omnia sua, vel obligationis, vel supererogationis exercitia, siuè ad orationis, siuè ad mortificationis studium spectent; & eius sententiæ per omnia obtemperent: Legum denique custodiæ deditissimi sint, & ad veram sanctitatem iugi Dei præsentia, Obedientiæ cultu, & sui abnegatione festinent.

## *Instructio eorum, qui Socij foras mittuntur.*

MOdestiæ curam exactissimam habebunt propter ingruentes occasiones distractionum, & propter bonum nomen Religionis.

Silentium ita colent, vt cum Patre, quem commitantur, nisi interrogati, verba non faciant, & tunc valdè submissa voce, & breuiter.

Cum

Cum externis verò nihil prorsus loquantur sine Patris illius expressa venia, quæ ad necessaria, duntaxat verba, non ad linguam relaxandam concedenda est.

Dei præsentiam vigilantius, quàm Domi mente pertractent, neque nouarum rerum curiositate se allici sinant; Experimento enim quotidiano patet, animam rerum sæcularium curiositate dissipatam, difficulter admodum sese colligere, & ad rerum cælestium meditationem verti.

Cum Pater ingreditur cum aliquo Prælato, aut viro illustri in cubiculum, Socius, nisi vocetur, remaneat extrà cubiculum, & si ingrediatur iubente Præsidente, non ita prope accedat, vt videatur velle audire, quæ dicuntur, quod etiam intelligendum est, quando Præsidens alloquitur viros graues.

## *Instructio Fratrum Professorum, qui ad officia designantur.*

DIfficilè est inter occasiones multiplices virtutis modum, mediumq. tenere, sic enim, qui diù sanctè vixerunt, sibi ab occasione timent, quis non planè fateatur, rem sanè miram esse inter occasiones inculpatè versari, res certè perspicua est; quapropter noui Profes-

 
fesſi præmuniri oportet ad officia ſanctè gerenda.

Inſtructiones officiorum exactè obſeruent, & ſi quid ibi non decretum occurrat, ad Superiorem perferant, vt modos perfectè agendi præſcribat.

Perfectiſsimum modeſtiæ, & ſilentij cultum obſeruent, nec exiſtiment, quia ad officia præſtanda, & loqui, & intueri neceſſe ſit, omnem idcircò oculorum, linguæq. licentiam ſibi permitti; peſsimè quippè agent, ſi abſque Dei timore officijs ad eam laxitatem abutantur. Regula ſit, eos Miniſtros ſinè peculiari Superioris venia cum nemine loqui poſſe, ijs verbis exceptis, quæ ad expedienda negocia neceſſaria ſunt.

Nullum familiaritatis genus cum externis contrahant, ſed ſeſe totos Deo, & Superioribus ſeruent, quod certè obtinebunt, ſi Dei præſentiæ immemores non ſint, & in officijs Dei cauſam ſe agere perpendant.

Comiter, & ſuauiter cum externis agant, omniaq. illa ſollicitè vitent, quibus animos exaſperare poſsint, quod ſanè præſtabunt, ſi omnia tempeſtiuè expedire, & perſonarum diſcrimen obſeruare nitantur, quemadmodum Fratres noſtri Dei gratia, conſueuerunt.

## Instructio pro Archiuio Congregationis.

ERunt iuxtà Constitutiones duo Archiuia Congregationis, vnum Genuæ, alterum Romæ, in quorum quolibet conseruabuntur infrascripta, Breuia Apostolica, & Bullæ, Priuilegia ad totam Congregationem spectantia, vel eorum transumptum authenticum, quod, vt conuenientius fiat, mox vt expeditur aliquid ex supradictis Pr. Procurator generalis curet fieri transumptum authenticum mittendum ad alterum Archiuium.

In quolibet eorum erit liber, vbi scribuntur acta Capituli generalis, & nouæ Constitutiones, si quæ feruntur, cum subscriptione Præpositi, & Definitorum generalium.

Erit liber declarationum, & alter ordinationum cum Præpositi, & Definitorum subscriptione.

Ex his Archiuijs nihil omninò extrahatur, sed, si opus fuerit, fiat copia de consensu duorum, qui habent claues, & curent quantocius reponi in Archiuio.

In Archiuio verò Romano seruabitur Originale Ordinarij, Manualis, Instructionum, Formularij, & libri Decretorum Definitorij generalis cum subscriptione Præpositi, primi Definitoris, & Secretarij.

In eodem Archiuio seruabuntur processus, qui ex singulis Prouincijs mittuntur ad Definitorium generale, & decisiones eorum, qui seruabuntur in distinctis receptaculis cum subscriptione nominis Prouinciæ, nec viuentibus illis, de quibus agunt, comburantur, post obitum autem ipsorum de arbitrio Definitorij generalis poterunt comburi.

Claues Archiuij Romani habebunt R. P. N. Præpositus Generalis, Primus Definitor generalis, & P. Procurator generalis, & in eorum absentiam Definitores generales successiuè, & Prior Conuentus Sanctæ Mariæ de Scala, Genuæ verò R.P.N. Generalis, P. Prouincialis Genuæ, & Prior Sanctæ Annæ. Non aperiantur Archiuia, nisi præsente aliquo ex prædictis, apud quos claues erunt, vel in eorum defectum præsente aliquo ex Definitoribus generalibus.

Erit Index omnium scripturarum, quæ seruantur in huiusmodi Archiuijs, vt facilè inueniri possit, si quid videndum occurrerit.

## *Instructio pro Archiuijs Prouinciæ.*

IN Conuentu assignato per Constitutiones erit Archiuium, in quo asseruentur Decreta Capituli generalis, & Definitorij generalis à Reu. Adm. P. N. Præposito generali,

& Secretario subscripta,& in duobus libris distinctis compacta.

Conseruentur etiam ibi processus, qui de arbitrio Definitorij Prouincialis videbuntur conseruandi, qui, si infamiam alicuius contineant, poterunt de arbitrio Definitorij Prouincialis comburi post Rei mortem.

Relationes etiam fundationum Monasteriorum,& Annualia Prouinciæ,si quæ erũt,& vitæ Religiosorum, qui in illa Prouincia sanctitate floruerunt.

Omnia item instrumenta authentica Conuentuum Prouinciæ, quæ haberi poterunt, vel eorum copiæ autenthicæ,& nota contractuum, qui fiunt annotato anno, die, & Notarij nomine.

Erit Index omnium bonorum stabilium cuiuscunq. Conuentus Prouinciæ, Bullæ Pontificiæ,& Priuilegia, tùm Pontificis, tùm Principum, & Magistratuum, & similium, quæ ad Prouinciam illam spectare poterunt, vt inde, si opus fuerit,copia aliqua authentica pro aliquo Conuentu extrahatur; Originalia verò nunquam auferentur ex Archiuio, nisi solum, vt fiat copia, habita tamen cura, ne perdantur.

Erunt receptacula distincta pro scripturis cuiuscunque Conuentus annotato suprà literis maiusculis nomine Conuentus.

Clau.

Claudetur Archiuium duabus clauibus, quarum vnam semper Prouincialis habeat, alteram Prior Conuentus, in quo erit Archiuium, nec aperiatur, nisi præsentibus his duobus, aut ab alijs ab ipsis deputatis, si absit Prouincialis, poterit relinquere clauem alicui ex Diffinitoribus Prouincialibus, si ibi fuerint, & ijs absentibus, alteri ex Patribus grauioribus Conuentus, ita vt vnus solus non habeat ambas claues. Prior autem, si abesse debet, relinquet clauem Præsidenti.

Erit Index omnium scripturarum, quæ seruantur in Archiuio, vt facilè inueniri possint, si quid videndum occurrerit.

## *Instructio pro Archiuio Conuentus, seu Arca trium clauium.*

IN communi Arca seruabuntur infrascripta.

Liber fundationis, in quo præter fundationem etiam scribentur Superiores, scilicet, canonici, qui successiuè fuerint in eo, & etiam Suppriores.

Alter, in quo scribantur Visitatores generales, & acta.

Alter, in quo scribantur Visitatores Prouinciales, & acta.

Alter, in quo defuncti Fratres scribantur, vbi is, cui rem Superior commiserit, annotet nationes, & nomina, subijcietq; compendium virtutum eorum, qui sanctitate claruerunt, vt posteri ad virtutis æmulationem excitentur.

Alter nomina eorum, qui ibi habitum induunt, & profitentur, continebit.

Alter, in quo reponetur Inuentarium bonorum Conuentus.

Alter, in quo reponatur summa expensi, & accepti quolibet mense.

Alter, in quo ponātur credita, & debita, onera Missarum perpetua, si quæ fuerint, vel redditus exigendi, si qui erunt.

In eadem Arca seruabitur vnum corpus Constitutionum, Ordinarij, Manualis, Instructionum, Kalendarij, Formularij, & Compendij Priuilegiorum Ordinis.

Ibi etiam seruabitur copia omnium Actuum, tàm Capituli generalis, & Definitorij generalis, quàm Capituli Prouincialis, & Definitorij Prouincialis subscripta à Prouinciali, & eius Secretario; & acta quidem Capituli generalis conseruentur in vno libro; in altero verò acta Definitorij generalis.

Præterea seruentur in eadem arca scripturæ publicæ, vel instrumenta, testamenta, emptiones, & venditiones, vel copiæ eorum authenticæ rerum stabilium, & alij contractus, si

qui

qui fuerint, Breuia Apostolica in fauorem Ecclesiæ, vel domus eiusdem, licentiæ Definitorij generalis, vel Prouincialis, vel ipsiusmet Generalis, vel Prouincialis ad emendum, vendendum, vel quid simile.

Sit Index harum scripturarum, ideòq. Breuia Pontificia simul, literæ, & patentes Prælatorum nostrorum in bonum Conuentus simul, testamenta simul, contractus simul, in eodem fasciculo cum subscriptionibus sint.

Nullus accipiat ex Arca aliquid, sed nec Superior, nisi præsentibus duobus, & quamprimùm iterùm reponantur, de quo qui abstulit admoneatur ab alijs, nec obliuiscatur reponere.

Aliæ scripturæ inutiles, vel nullius momenti non sint in Arca trium clauium.

Omnis pecunia in ista Arca seruabitur, in qua etiam erit locus ad deposita, siuè pecuniarum, siuè rerum, si quæ fuerint apud nos seruanda, cum subscriptione, & nota, à quo accepta, & cui danda erunt.

Claues habeant apud se, qui illas habere debent, sed non ita, vt videantur, nec in Cella relinquantur, nec sint minus, quàm duo, quando aperitur.

## Instructio ad librum Actuum Conuentus.

IN quolibet Conuentu sit liber, in quo, vt præcipitur in nostris Constitutionibus Cap. 5. 3. par. num. 15. scribantur omnia acta Capituli Conuentualis.

In Capitulo, quando aliquid proponitur ex his, quæ in dicto libro scribi debent, antequam suffragetur, scribatur propositio in aliqua carta à libro distincta ab illo, qui secundus post Priorem, seù præsidentem sedet, videlicet, si adsit aliquis Definitor, Supprior erit Secretarius, deindè postquam fuerint data suffragia, addat propositioni affirmatiuè, vel negatiuè, cum tot ex tot, finitoq; Capitulo, ille, qui fecit officium Secretarij, scribet eandem propositionem absque vlla mutatione in libro Conuentus, quam Prior, & primus Discretus subscribēt, liberq. reponatur in Cella Prioris, itaut non conferatur per manus Religiosorum.

Propositiones Nouitiorum non in hoc libro, sed in alio separato scribentur à Magistro Nouitiorum cum subscriptione Prioris, & ipsius Magistri.

Propositiones Professorum, quæ fiunt quoad mores pro Ordinibus, pro Concionibus, vel Con-

Confeſsionibus non ſcribantur, ſed approbationes ſolum, ne appareat in hoc libro, hos, vel illos fuiſſe aliquando, quoad mores propoſitos, & non approbatos, non tamen dicatur, quot ſuffragijs fuerit aliquis approbatus.

## *Instructio iter agentium.*

SEù pedeſtres, ſeù neceſsitate cogente humiliter vecti, qui è noſtris iter agunt, paupertatem Chriſti æmulentur, & eleemoſinas mendicare pro ſummo ducant honore.

Compoſitis veſtibus ſemper eundum, ac cum per Oppida trãſeundum eſt, induti pallijs Fratres bini procedant.

Non ſolum inter ſe, verùm etiam cum alijs, quos obuios, vel itineris comites habuerint, comiter, ac hilariter, licet cum externis parciùs agant.

De rebus diuinis frequenter verba faciant, & externos quoſque pijs ſermonibus ad pietatem ſuauiter alliciant.

Qui præeſt in itinere, lenem ſe cæteris exhibeat, & laborem, quoad poſsit, ſua ſedulitate ſubleuet.

Qui ſubſunt ſeniori, quaſi Chriſto deferant, nec illius iniuſſu alio diuertant, vel quidquam attentent.

Non ſuam quiſque commoditatem, ſed alio-

rum

rum exquiret, seù cubandum, seù quidpiam aliud agendum sit.

Cum in Claustri quiete salus nostra resideat, omni mora procul acta Fratres nostri ad claustra festinent, & statim, ac peruenerint ad Conuentum, in quo remanere debent, literas patentes itinerarias apud Priorem relinquant.

Sciant autem iter agentes, ratione itineris non dispensari in ieiunio, maximè cum peruenerint ad Conuentus, sed tantùm ratione necessitatis, & quamuis Superior vltrà primam diem cœnam afferat, modestè se excusent, dummodo non præcipiat, cum verò de vno ad alterum Conuentum, non vltrà tria milliaria distantem, accedunt, nulla hospitalitatis indulgentia vtantur.

## Instructio pro Officio Humilitatis.

CVi hoc officium obtigerit, valdè magni ducat occasionem tantæ virtutis exercendæ.

Ad ipsum attinet loca humilia, & sedilia mundare, aquam etiam iugiter subministrare ad vasa mundanda.

Curet, vt ibi sint instrumenta apta ad vasa prædicta tergenda, & illa cum trita fuerint, renouare.

Pexias etiam mundas, cartam, seù papirum

rum habeat in sportula opportuna repositas, & eas mundare curet, quando opus fuerit.

Cum dies fuerit, in qua sit verrenda Domus, ad ipsum attinet, aquam deferre per Dormitoria, Chorum, Capitula, & alia loca publica, quod si occupatus fuerit, vel auxilio indigeat, admoneat tempestiuè Superiorem; Non irrigabit multò antè, nec ita tardè, vt iam sicca, vel nimis humida sit terra, cum verrenda est.

Ejusdem erit colligere immunditias post verritionem, & ad id habere instrumenta parata, & omnia reponere in loco ad id designato.

Cum irrigat Domum, modestè id faciat cum compositione religiosa, scapulare eleuato, & alligato ad cingulum, ne defluat.

Si quando (pro temporis opportunitate) haberi poterint flores, & herbæ odoriferæ, illis pauimentum loci humilis sternat, vt munditia in ipsis exactè redoleat.

## *Instructio Tersoris scutellarum.*

QVibus hoc officium fuerit impositum, mane hora competenti, vbi opus fuerit, & post mediam recreationis horam, tergent scutellas, lancesq. & vasa alia, quæ singulis diebus inseruiunt culinæ, præter lebetes, quæ regulariter à Coquo abstergi solent.

Dum

Dum opus faciunt, taceant, vel Psalmos, vel aliquid spirituale recitent.

Curent, ne aqua sit nimis calida, sed misceãt parum frigidæ, & similiter in frigida parum calidæ infundant, ne facilè lances frangantur.

Reponent omnia, quæ lauerint, suis in locis.

Habeant pannum antè se, dum tergunt, aliquantulum etiam plicent manicas, ne illas, habitusq. deturpent, & furfure, vel alia re pauperiori manus posteà abluãtur, ne malè oleant, vel libros sordident, quos contrectant, pannos autem suis in locis reponant.

Si impediti fuerint, vel infirmentur, admoneant Superiorem tempestiuè, vt alium, si necesse fuerit, suo loco sufficiat.

Si quid rumpant, ablato cappucio, & corda ad collum appensum deferant in Refectorio tempore culparum post cœnam, & collationem, & se prosternentes dicant suam culpam, impositamq. pœnitentiam agant; si plures lances, vel vas maius fregerint, sufficiat aliquas lances, vel partem illius vasis ferre dicendo suam culpam, quod similiter faciet quicunque aliquid fregerit, dummodo non sint vasa indecentia pro tali loco, & dato signo ad discedendum Præsidentis scapulare osculentur.

Cum eis contigerit officium, legent, & obseruent hanc instructionem.

In-

## Instructio Ministri Rasuræ.

HAbeat apud vestiũ promptuariũ arculã, in qua sint lintea, pectines, forfices, & scopulas, & alia ad ministerium hoc necessaria.

Quolibet mense die assignando à Superiore omnes tondentur, ac sciat à Superiore quosnã debeat vocare ad faciendam tonsuram, & qua hora, vocabitq. singulos, prout occupationes permiserint singulorum.

Fiat omnibus in eodem loco, & tempore, seruetur silentium strictissimè, tantò diligentius, quantò periculosius efficitur, in quo si erit defectus, minister admoneat, vel si eius admonitio non sufficiat, significet Superiori.

Pannos petat mundos, curam habeat de forficibus benè acuendis, seù renouandis, cum opus fuerit, admonito Superiore.

Nunquam adhibeantur specula, & sapones, nec aliquis radatur.

Peracta tonsura mundet cubiculum, & omnia reponat suo loco.

## Instructio Officialium in genere.

HAbeant aliquas Imagines ad deuotionem excitandam in loco conuenienti.

Cla-

Claues officinæ absconditas habeant non patentes.

Claues non dimittant in serâ, nec portam apertam relinquant, dum ipsi intrà non sunt, nec intus officinam se claudant.

Cum foras exeunt, admoneant Superiorem, apud quem debent relinqui claues ad omnem euentum.

Nihil, quod non pertineat ad suam officinam habeant inclusum in ea sine scitu, & venia Superioris.

Habeant suas instructiones, videant illas, & legant saltem quolibet mense.

Munditiam in sua officina affectent, & omnia benè disposita suis locis habeant.

Inuentarium rerum ad suum officium pertinentium omninò habeant, & aliquando reuideant, si quid desit, & si aliquod de nouo addatur, addant etiam in Inuentario, si verò pereat, moneant Superiorem, vt de nouo fiat, aut ex Inuentario deleatur, Inuentariumq. tradant successori finito officio.

Strictum silentiũ in officina obseruent, & si necesse sit loqui, submissa voce loquantur, nunquã cantẽt, ita vt à trãseuntibus possint audiri.

Inter se benignè, & vrbanè agant, nemo se immisceat in officio aliorum, vt iurgia, & reprehensiones euitentur.

Si officia sint talia, vt vnus dependeat ab alio,

alio, à Superiore sciant quomodo inter se debeant se gerere.

Meminerint, se seruos Dei esse, Deoq. in seruis suis inseruire

Laborantes corpore, mentem ad Deum eleuare curent.

## *Instructio Bibliothecarij.*

Libros, præsertim sacros, tanquam cælestia dona, quibus ad sapientiam promoueamur, plurimi faciat.

Codicem habeat, in quo omnes libri, tàm præsentes, quàm futuri per classes distinctè notentur.

Libros cuiuscunq. scientiæ distinctis receptaculis ita disponat, vt facilè inueniri possint, capiti cuiuscunque classis grandioribus carracteribus scientię illius, putà, Theologiæ, Iuris canonici, Philosophiæ, &c. nomen scribat.

Indicem librorum prohibitorum perspectum habeat, ne quis liber prohibitus per incogitantiam admittatur, quod si quem deprębendat, statim admoneat Superiorem, & depellatur de communi Bibliotheca in armarium aliquod, seù locum clausum ad hoc deputatum vt quamprimum ad Inquisitorem, sed ad quem spectat, deferatur.

Si qui libri pereant, vel iuxtà de causa donen-

nentur, alios eorundem auctorum sufficì curet, vel de codice deleat.

Si qui libri de licentia Superioris (sinè qua, & primi Discreti nullo modo commodari possint) accomodentur extraneis, retineat cathalogum omnium, & si absque nota inurbanitatis fieri poterit, petat aliquam subscriptionem ab illo, cui accomodantur, & curet, vt recipiantur, cumq. recepti fuerint de cathalogo deleat, quod, vt præstet, Superior non permittat per alium, quam per Bibliothecarium extrahi ex Bibliotheca libros accomodandos, nec reponi receptos.

Si libri alicuius momenti præcipuè accomodentur alteri Conuentui nostro, curet, quod cathalogus eorum subscribatur à Priore illius Conuentus, vel ab alio eius nomine, annotato die, & anno, ne propter obliuionem remaneat extrà Conuentum.

Curet habere aliquam notitiam librorum, qui sunt per Cellas, & apud quos sint, vt facilè, si quærantur, possint inueniri, quod efficiet, si hi, qui de licentia Superioris accipiunt libros, non extrahant sinè scitu Custodis, vel saltem postea moneant.

Sciant, quod sicut alij non possunt extrahere libros ex Bibliotheca sinè licentia Superioris, sic nec ipse Bibliothecarius, immò nec in Bibliotheca legere libros, quos alias non le-

geret,

geret, ne tempus superuacaneè expendat.

Libros profanos, qui ad Institutum nostrum esse non possunt, vsu non quærat, si qui autem eiusmodi sint, Superioris permissu permutet, vel abscondat.

Manuscripta seorsum reponat, & si fuerint alicuius viri grauis, seù antiqua, curam singularem eorum habeat, omnia peruoluat, vt de singulis rationem reddere posit.

Munditiam curet, puluerem, aranearumq. telas, & quasuis alias sordes semel saltem in hebdomada abstergat, sed tinearum, & murium remedia præsertim prouideat.

Moueat aliquando libros, qui rarò solent aperiri.

In Bibliotheca in loco commodiori habeat mensam cum atramento, & carta ad scribendum, & aliquot sedilia, seù scabella pro eis, qui eò ingrediuntur.

Moneat eos, qui ibi student, vt libros in ea loca reponant, vndè acceperint, & ipse aliquando perlustret, si casu aliquis liber sit extrà suam seriem, & reducat.

Eos libros, ex quibus non habentur plura exemplaria, maximè si sint vsui ordinario, non permittat extrahi ex Bibliotheca, & si aliquando extrahantur, curet vt quantociùs reducantur, & moneat Priorem, si Religiosi in Cella teneant libros, quibus rarò vtuntur,

& curet, vt reducantur in Bibliothecam.

Curet, ne prętextu huius officij sit extrà Cellam, plusquam necessitas ipsa præcisè postulat, ac similiter fugiat occasiones loquendi in Bibliotheca, quinimmò si aliquos ibi viderit loquentes, moneat, & si non proficiat, certiorem Superiorem faciat, vt tales loquaces ad Bibliothecam ire non permittat.

Bibliothecam in dies augeri curet Sanctis præcipuè Patribus, admonendo Superiorem de libris, qui denuò exire in lucem nouerit, seruata tamen modestia, recollectione, & obedientia.

## *Instructio Ministri Hospitum.*

HOspitalitatis virtutem, vtpotè charitatis partum, magni faciat.

Statim, ac Fratres nostros aliundè venisse resciuerit, eos insigni amoris significatione conueniat, & si opus fuerit, lintea ad sudorem detergendum, & ad frigus pellendum ignem, pro temporum diuersitate paret, interimq. dum cætera disponuntur, Cellam mundet, & lectos commodos sternat, tunicas etiam vt mutentur, & lodices mundos, vt à lassitudine recreentur.

Pedes lauet more Christi, qui pedes hospitibus suis lauare consueuit, & à labore recrea-

tos

tos in Refectorium deducat, & pro necessitatis, & charitatis modo eis victum ministret, in Cellasq. reducat, vbi, quæ opus sunt, vtpotè, libros, vasa, vel alia, quibus indigere perspexerit prouideat.

Hæc ipsa erga Religiosos alios apud nos diuersantes præstabit.

Discet ab hospitibus, quota hora surgere velint, vt eos excitet.

Postero die dato silentij signo soluendi, nisi necessitas aliud exposcat, illos visitet, & quomodo se habuerint, & an aliquid eis sit necessarium, sciscitetur, ac prouideat.

Si hospites sæculares sint (quibus variè ministrandum est) comiter eos excipiat, & quid agendum cum Superiore conferat.

Caueat, ne cum hospitibus, vel sæcularibus, vel Religiosis verbosus sit, aut ab eis noua velit audire, aut quæ secretò apud nos aguntur, eis imprudenter detegere.

Cum ministrat hospitibus, ne cum eis verba faciat, vel in vllo alio actu obseruantiam, & boni exempli vim eneruet.

Recedentes hospites, vsque ad Conuentus Ianuam comitetur, & veniam de hospitalitatis imperfectione postulet.

Postquam hospites recesserint, lodices, stramenta, & cætera, quæ in eorum vsum extraxit, mundet, & in communia promptuaria referat.

## Instructio Ministri Infirmorum.

SIc erga infirmos affici curet, ac mater erga filios, & quod plus est, ac si Christus ipse faceret ægrotus.

Cum primùm quis decumbit, accurrat Minister, & lectum pro ratione status nostri mũdum, ac commodum sternat, ac si opus est, tàm lectum, quàm ægrotum linteis vestiat.

Medicum accersiri faciat, cuius præscripta fideliter obseruet.

Quoad victum attinet, quàm exactè possit, quæ Dominus prouiderit, paret, & tempora obseruet, vt opportuna omnia faciat, & morbi fastigia obsequio suo extenuet.

Munditiam curet, quotidiè vasa lauet, Cellæ pauimentum quoties sorduerit, verrat, & pro ratione paupertatis nostræ lintea, puluinos, & reliqua mutet.

Vasa, aromata, conditanea, medicamenta, & reliqua Infirmorum vsui necessaria loco designato, clausoq. custodiet, & pro necessitatis modo distribuet.

[illegible]cri, nisi morbus ingrauescens obstet; [illegible]ulis lectum curet, ac molliat.

[illegible]t nouos charitatis modos ad so[illegible]s, quibus laborem diminuat, & [illegible]t, cuiusmodi sunt, febri fer[illegible]

ue-

uescente, fontes artificiales, & pro tempore florum fasciculi, aliaq. similia, quæ ad spiritualem sensum traduci possunt.

Caueat, in diuturnis præsertim, & grauibus morbis, ne tedio afficiatur, quod si tentetur, studeat eam passionem subiugare, ac hilarem vultum semper exhibere.

Sit verbis lenis, ac suauis, & colloquia spiritualia cum ægrotis misceat, duraq. fortassè verba, quæ ab infirmis morbus extorquet, leniter accipiat.

Caueat, ne morbi prætextu ad mores sæculares infirmi redeant, ne cum conualuerint, claustri disciplinam oderint, quod, si quid eiusmodi deprædendat, Superiorem admoneat.

Cum ijs, qui non decumbunt, & leuiter ægrotant, quomodo se gerere debeat, quoad rationem victus, & alia necessaria à Superiore discat.

Nullam personarum, sed solius necessitatis rationem habeat, & iuxtà eam singulis æqualiter ministret.

Cum aliquis ex conualescentibus ægrotantium victu, aut commoditate non egere crediderit, Prælatum moneat, idemq., quando aliquis indiguerit, faciat.

Dùm infirmi conualescunt, singularem curam gerat, ne modum victus excedant, & in morbum relabantur, obserueta. an bonorum

morum iacturam faciant, de quibus Superiorem quoque moneat.

Inualescente morbo Superiorem de periculo certiorem faciat, vt Sacramentis Ecclesiæ, & suffragijs Religionis ægroti muniantur.

Nunquam de Cælo mutando, aut alio remedio, quò extrà Claustra vtendum sit, cum infirmo, vel Medico agat sinè præuia Superioris venia, idemq. obseruabit, quoties remedium aliquod minùs cum Instituto nostro conuenire videbitur.

Obseruet exactè Constitutionem prçcipientem, vt Fratres decumbentes extrà valetudinarium manere Superiores non permittant vltrà triduum, sed illuc deferri præcipiant, quotidièq. ibi, si fieri potest, ægroti omnes sacrum audiant, quod si ob aliquam causam dimittendum sit sacrum, non dimittatur sinè scitu Superioris.

Curet etiam, vt tempore recreationis infirmi soli non remaneant, monendo Superiorem, vt aliquem ad eos solandos mittat, & dùm decumbunt, meminerit Minister infirmorum, tempestiuè auferre mensam, & alia vtensilia, quibus infirmus vsus est.

In-

## Instructio Ministri Refectorij.

SIc omnia paret, ac si Christus, & Apostoli sessuri essent, quos sub imagine Superioris, subditorumq. concipiat.

Bis saltem in hebdomada linteola mutet, Dominica scilicet, & Fer. Quinta, nisi ob aliquod Festum, aut Professionis, aut alicuius solemnitatis rationem dies mutari debeat.

Vrceos, reliquaq. vasa semel saltem in hebdomada intùs, forisq. lauet, & detergat.

Mensas, tabellasq. vasis suppositas, opercula, salina, cultros, & coclearia semel per mensem lauet, ac sedium puluerem tergat.

Præter assignatum tempus, quoties aliquid sordidum depræhenderit, accuratè mundet.

Quotidiè linteola, suisq. locis complicata, cultrum, & cocleare suppositum, poculumq. reuiset, & quantum opus fuerit, abstergat.

Refectorij pauimentum quotidiè verrat, & quoties opus sit, herentes vini, pulmentorum, vel rerum aliarum sordes eradat.

Lucernas, quas hyeme paratas, & mundas habere debet, per mensas ita distribuat, vt quid agatur, commodè discerni possit.

Panem, vinum, fructus, & alia ad victum spectantia, quę ab ipso distribuenda sunt, in Armarijs, seù Cellarijs ita seruet, vt nihil cor-

rumpatur, & cum quid necessarium deest, Superiorem admoneat.

Fragmenta panis, vini, & fructuum, vel rerum aliarum reliquias, quæ fortuitò supersunt, colligat, & seponat, ne contrà paupertatis cultum pereant.

Æqualitatem in distributione victus seruare studeat, & quod ad numerum ferculorum, & quantitatem panis, aut fructuum in Ecclesiasticis, & nostris quoque ieiunijs ad collationem apponendam spectat, à Superiore discat.

Silentium, quam potuerit, strictè colat, & contentiones cum Socijs, & culinæ Ministris vitet.

Bis saltem per hebdomadam mutet lintea, quæ præ foribus Refectorij pendeant, vbi Fratres antè prandium, cœnamuè manus lauant, & abstergunt.

Vbi refectionis signum datur Refectorij fores omnes aperiat, caueatque, ne Fratres venientes ex clauis incuria retardet.

Prælatis, aut alijs Viris Illustribus, apud nos pransuris, bina linteola, alterum subtus, alterum suprà panem explicata coaptabit, & ad manus abluendas vasa munda, & lintea seposita habebit.

Dum prandent, qui ad secundam mensam sedent, Refectorium aptare curet, vt vesperi, quod faciendum superest, absoluat citiùs, ideq.

post

 206

post cœnam, collationemuè, dum sedent, qui serò accubuerunt, obseruabit.

Æstate, non antequam refectionis tempus instet, aquam vrceis infundat, & vinum ministrandum è Cellario depromat.

Libros, qui in Refectorio leguntur, opportuno loco tectos, & mundos asseruet.

Expleto officio Refectorium claudat, nec, nisi statis horis, vel ex alia iuxtà occasione, aperiat.

## *Instructio Ministri Cellæ Vinariæ.*

VInum illud, si plura sint, det, quod Superiori videbitur.

Caueat, ne vel minimùm bibat, nisi fortè oporteat experiri vina, vel videri, an corrumpantur.

Discat modum conseruandi vinum tempore æstatis, vel quod meliùs possit diutiùs, & quod minùs seruari possit, significet Superiori.

Instrumenta diligenter seruet necessaria pro sua officina, admoneat opportunè de dolijs cum sunt vetusta, vel aliqua indigent reparatione, mundum habeat totum locum, præsertim à telis aranearum.

Sciat à Superiore, quomodo vinum ministrabit Communitati, ne calidum apponatur.

Va-

Vasa autem, quæ ad hoc opportuna erunt, curet habere, & intùs, & extrà benè tergat, ne contrahant aliquid, quod nocere possit.

In Conuentibus, vbi emuntur vina, & est necessarium facere prouisionem, curet, vt fiat tempore opportuno, & discat à peritis in hac materia, quomodo debeant conseruari, & quid sit necessarium habere pręparatum pro occasionibus occurrentibus, & omnia curet habere disposita.

Nullum ducat ad Cellam vinariam, nisi de expressa venia Superioris, nec vinum aliquod particulare omninò apponat vlli Religioso, siuè sæculari sinè eadem venia.

## *Instructio Quæstoris Eleemosinarum.*

CVi cura quærendi eleemosinam demandata est, si ostiatim quærat, singulari modestia petat pro Dei amore, non canendo, sed simpliciter dicendo; laudetur Iesus Christus, detur eleemosina pro amore Dei pro Fratribus Discalceatis, vel Conuentu N. vel quid simile, & cum accipit gratias agat dicẽdo, Dominus retribuat, similiter quando nihil ei tribuetur: si accipiat pecunias, reponat in arcula lignea, vel in sportula, nec ferat in manibus.

Caueat à multa colloqutione præcipuè cum mulieribus, & cum multa totiùs corporis, &

præ-

præcipuè oculorum moderatione, & modestia incedat, & agat cum sæcularibus.

Patientiam seruet, si quando iubetur expectare, vel ei negatur eleemosina, nec conqueratur cum alijs, etiam illius domesticis, vel nostris Religiosis.

Si quando petendo panem, vel quid aliud, detur ei pecunia, non eam expendat in panem, vel aliquid aliud, sed deferat Domi ad Superiorem, vt iuxta illius arbitrium expendatur, nec faciat panem, nec aliud deferre per sæculares, nisi de venia Superioris, si quando esset occupatus, vel in aliquo casu raro.

Si dicat aliquis, quid nam velit, pecuniam, vel panem, vel aliud, respondeat, quod ipsis magis videbitur, sciatq. à Superiore quid in hoc casu debeat facere, & quomodo respondere.

Nemini aliquid det, nisi habeat aliquando expressam veniam Superiorum.

Omnem pecuniam statim, ac Domum reuertitur, in arca trium clauium reponat.

Si sint duo Quæstores, notos faciat alter alteri eos, à quibus eleemosinas accipiunt, ne vterq. adeat eosdem, & ob frequentiam fastidio sint benefactoribus. Caueant autem contentionem inter se, & vnusquisque facilè cedat alteri, & absque vlla specie inuidiæ, vel æmulationis vnusquisque munus suum expleat ea, qua poterit, diligentia.

Cum

& curet, vt reducantur in Bibliothecam.

Curet, ne prętextu huius officij sit extrà Cellam, plusquam necessitas ipsa præcisè postulat, ac similiter fugiat occasiones loquendi in Bibliotheca, quinimmò si aliquos ibi viderit loquentes, moneat, & si non proficiat, certiorem Superiorem faciat, vt tales loquaces ad Bibliothecam ire non permittat.

Bibliothecam in dies augeri curet Sanctis præcipuè Patribus, admonendo Superiorem de libris, qui denuò exire in lucem nouerit, seruata tamen modestia, recollectione, & obedientia.

## *Instructio Ministri Hospitum.*

HOspitalitatis virtutem, vtpotè charitatis partum, magni faciat.

Statim, ac Fratres nostros aliundè venisse rescierit, eos insigni amoris significatione conueniat, & si opus fuerit, lintea ad sudorem detergendum, & ad frigus pellendum ignem, pro temporum diuersitate paret, interimq. dùm cætera disponuntur, Cellam mundet, & lectos commodos sternat, tunicas etiam vt mutentur, & lodices mundos, vt à lassitudine recreentur.

Pedes lauet more Christi, qui pedes hospitibus suis lauare consueuit, & à labore recreatos

tos in Refectorium deducat, & pro necessitatis, & charitatis modo eis victum ministret, in Cellasq. reducat, vbi, quæ opus sunt, vtpotè, libros, vasa, vel alia, quibus indigere perspexerit prouideat.

Hæc ipsa erga Religiosos alios apud nos diuersantes præstabit.

Discet ab hospitibus, quota hora surgere velint, vt eos excitet.

Postero die dato silentij signo soluendi, nisi necessitas aliud exposcat, illos visitet, & quomodo se habuerint, & an aliquid eis sit necessarium, sciscitetur, ac prouideat.

Si hospites sæculares sint (quibus variè ministrandum est) comiter eos excipiat, & quid agendum cum Superiore conferat.

Caueat, ne cum hospitibus, vel sæcularibus, vel Religiosis verbosus sit, aut ab eis noua velit audire, aut quæ secretò apud nos aguntur, eis imprudenter detegere.

Cum ministrat hospitibus, ne cum eis verba faciat, vel in vllo alio actu obseruantiam, & boni exempli vim eneruet.

Recedentes hospites, vsque ad Conuentus Ianuam comitetur, & veniam de hospitalitatis imperfectione postulet.

Postquam hospites recesserint, lodices, stramenta, & cætera, quæ in eorum vsum extraxit, mundet, & in communia promptuaria referat.

## *Instructio Ministri Infirmorum.*

SIc erga infirmos affici curet, ac mater erga filios, & quod plus est, ac si Christus ipse faceret ægrotus.

Cum primùm quis decumbit, accurrat Minister, & lectum pro ratione status nostri mũdum, ac commodum sternat, ac si opus est, tàm lectum, quàm ægrotum linteis vestiat.

Medicum accersiri faciat, cuius præscripta fideliter obseruet.

Quoad victum attinet, quàm exactè possit, quæ Dominus prouiderit, paret, & tempora obseruet, vt opportuna omnia faciat, & morbi fastigia obsequio suo extenuet.

Munditiam curet, quotidiè vasa lauet, Cellæ pauimentum quoties sorduerit, verrat, & pro ratione paupertatis nostræ lintea, puluinos, & reliqua mutet.

Vasa, aromata, condicanea, medicamenta, & reliqua Infirmorum vsui necessaria loco designato, clausoq. custodiet, & pro necessitatis modo distribuet.

Vesperi, nisi morbus ingrauescens obstet; diebus singulis lectum curet, ac molliat.

Excogitet nouos charitatis modos ad solandos ægros, quibus laborem diminuat, & spiritum alat, cuiusmodi sunt, febri ferue-

uescente, fontes artificiales, & pro tempore florum fasciculi, aliaq. similia, quæ ad spiritualem sensum traduci possunt.

Caueat, in diuturnis præsertim, & grauibus morbis, ne tedio afficiatur, quod si tentetur, studeat eam passionem subiugare, ac hilarem vultum semper exhibere.

Sit verbis lenis, ac suauis, & colloquia spiritualia cum ægrotis misceat, duraq. fortassè verba, quæ ab infirmis morbus extorquet, leniter accipiat.

Caueat, ne morbi prætextu ad mores sæculares infirmi redeant, ne cum conualuerint, claustri disciplinam oderint, quod, si quid eiusmodi deprǽhendat, Superiorem admoneat.

Cum ijs, qui non decumbunt, & leuiter ægrotant, quomodo se gerere debeat, quoad rationem victus, & alia necessaria à Superiore discat.

Nullam personarum, sed solius necessitatis rationem habeat, & iuxtà eam singulis æqualiter ministret.

Cum aliquis ex conualescentibus ægrotantium victu, aut commoditate non egere crediderit, Prælatum moneat, idemq., quando aliquis indiguerit, faciat.

Dùm infirmi conualescunt, singularem curam gerat, ne modum victus excedant, & in morbum relabantur, obseruetq. an bonorum

morum iacturam faciant, de quibus Superiorem quoque moneat.

Inualescente morbo Superiorem de periculo certiorem faciat, vt Sacramentis Ecclesiæ, & suffragijs Religionis ægroti muniantur.

Nunquam de Cælo mutando, aut alio remedio, quò extrà Claustra vtendum sit, cum infirmo, vel Medico agat sinè præuia Superioris venia, idemq. obseruabit, quoties remedium aliquod minùs cum Instituto nostro conuenire videbitur.

Obseruet exactè Constitutionem pręcipientem, vt Fratres decumbentes extrà valetudinarium manere Superiores non permittant vltrà triduum, sed illuc deferri præcipiant, quotidièq. ibi, si fieri potest, ægroti omnes sacrum audiant, quod si ob aliquam causam dimittendum sit sacrum, non dimittatur sinè scitu Superioris.

Curet etiam, vt tempore recreationis infirmi soli non remaneant, monendo Superiorem, vt aliquem ad eos solandos mittat, & dùm decumbunt, meminerit Minister infirmorum, tempestiuè auferre mensam, & alia vtensilia, quibus infirmus vsus est.

*In-*

## Instructio Ministri Refectorij.

SIc omnia paret, ac si Christus, & Apostoli sessuri essent, quos sub imagine Superioris, subditorumq. concipiat.

Bis saltem in hebdomada linteola mutet, Dominica scilicet, & Fer. Quinta, nisi ob aliquod Festum, aut Professionis, aut alicuius solemnitatis rationem dies mutari debeat.

Vrceos, reliquaq. vasa semel saltem in hebdomada intùs, forisq. lauet, & detergat.

Mensas, tabellasq. vasis suppositas, opercula, salina, cultros, & coclearia semel per mensem lauet, ac sedium puluerem tergat.

Præter asignatum tempus, quoties aliquid sordidum depræhenderit, accuratè mundet.

Quotidiè linteola, suisq. locis complicata, cultrum, & cocleare suppositum, poculumq. reuiset, & quantum opus fuerit, abstergat.

Refectorij pauimentum quotidiè verrat, & quoties opus sit, herentes vini, pulmentorum, vel rerum aliarum sordes eradat.

Lucernas, quas hyeme paratas, & mundas habere debet, per mensas ita distribuat, vt quid agatur, commodè discerni posit.

Panem, vinum, fructus, & alia ad victum spectantia, quę ab ipso distribuenda sunt, in Armarijs, seù Cellarijs ita seruet, vt nihil cor-

rumpatur, & cum quid necessarium deest, Superiorem admoneat.

Fragmenta panis, vini, & fructuum, vel rerum aliarum reliquias, quæ fortuitò supersunt, colligat, & seponat, ne contrà paupertatis cultum pereant.

Æqualitatem in distributione victus seruare studeat, & quod ad numerum ferculorum, & quantitatem panis, aut fructuum in Ecclesiasticis,& nostris quoque ieiunijs ad collationem apponendam spectat, à Superiore discat.

Silentium, quam potuerit, strictè colat, & contentiones cum Socijs, & culinæ Ministris vitet.

Bis saltem per hebdomadam mutet lintea, quæ præ foribus Refectorij pendeant, vbi Fratres antè prandium, cœnamuè manus lauant, & abstergunt.

Vbi refectionis signum datur Refectorij fores omnes aperiat, caueatque, ne Fratres venientes ex clauis incuria retardet.

Prælatis, aut alijs Viris Illustribus, apud nos pransuris, bina linteola, alterum subtus, alterum suprà panem explicata coaptabit, & ad manus abluendas vasa munda, & lintea seposita habebit.

Dum prandent, qui ad secundam mensam sedent, Refectorium aptare curet, vt vesperi, quod faciendum superest, absoluat citiùs, ideq.

post

post cœnam, collationemuè, dum sedent, qui serò accubuerunt, obseruabit.

Æstate, non antequam refectionis tempus instet, aquam vrceis infundat, & vinum ministrandum è Cellario depromat.

Libros, qui in Refectorio leguntur, opportuno loco tectos, & mundos asseruet.

Expleto officio Refectorium claudat, nec, nisi statis horis, vel ex alia iuxtà occasione, aperiat.

## *Instructio Ministri Cellæ Vinariæ.*

Vinum illud, si plura sint, det, quod Superiori videbitur.

Caueat, ne vel minimùm bibat, nisi fortè oporteat experiri vina, vel videri, an corrumpantur.

Discat modum conseruandi vinum tempore æstatis, vel quod meliùs possit diutiùs, & quod minùs seruari possit, significet Superiori.

Instrumenta diligenter seruet necessaria pro sua officina, admoneat opportunè de dolijs cum sunt vetusta, vel aliqua indigent reparatione, mundum habeat totum locum, præsertim à telis aranearum.

Sciat à Superiore, quomodo vinum ministrabit Communitati, ne calidum apponatur.

Va-

Vasa autem, quæ ad hoc opportuna erunt, curet habere, & intùs, & extrà benè tergat, ne contrahant aliquid, quod nocere possit.

In Conuentibus, vbi emuntur vina, & est necessarium facere prouisionem, curet, vt fiat tempore opportuno, & discat à peritis in hac materia, quomodo debeant conseruari, & quid sit necessarium habere prȩparatum pro occasionibus occurrentibus, & omnia curet habere disposita.

Nullum ducat ad Cellam vinariam, nisi de expressa venia Superioris, nec vinum aliquod particulare omninò apponat vlli Religioso, siuè sæculari sinè eadem venia.

## *Instructio Quæstoris Eleemosinarum.*

CVi cura quærendi eleemosinam demandata est, si ostiatim quærat, singulari modestia petat pro Dei amore, non canendo, sed simpliciter dicendo; laudetur Iesus Christus, detur eleemosina pro amore Dei pro Fratribus Discalceatis, vel Conuentu N. vel quid simile, & cum accipit gratias agat dicēdo, Dominus retribuat, similiter quando nihil ei tribuetur: si accipiat pecunias, reponat in arcula lignea, vel in sportula, nec ferat in manibus.

Caueat à multa colloqutione præcipuè cum mulieribus, & cum multa totiùs corporis, &

præ-

præcipuè oculorum moderatione, & modestia incedat, & agat cum sæcularibus. 207

Patientiam seruet, si quando iubetur expectare, vel ei negatur eleemosina, nec conqueratur cum alijs, etiam illius domesticis, vel nostris Religiosis.

Si quando petendo panem, vel quid aliud, detur ei pecunia, non eam expendat in panem, vel aliquid aliud, sed deferat Domi ad Superiorem, vt iuxta illius arbitrium expendatur, nec faciat panem, nec aliud deferre per sæculares, nisi de venia Superioris, si quando esset occupatus, vel in aliquo casu raró.

Si dicat aliquis, quid nam velit, pecuniam, vel panem, vel aliud, respondeat, quod ipsis magis videbitur, sciatq. à Superiore quid in hoc casu debeat facere, & quomodo respondere.

Nemini aliquid det, nisi habeat aliquando expressam veniam Superiorum.

Omnem pecuniam statim, ac Domum reuertitur, in arca trium clauium reponat.

Si sint duo Quæstores, notos faciat alter alteri eos, à quibus eleemosinas accipiunt, ne vterq. adeat eosdem, & ob frequentiam fastidio sint benefactoribus. Caueant autem contẽtionem inter se, & vnusquisque facilè cedat alteri, & absque vlla specie inuidiæ, vel æmulationis vnusquisque munus suum expleat ea, qua poterit, diligentia.

Cum

Cum ſunt duo Cœnobia, & ambo eleemoſinas petunt, Prouincialis diuidat inter Quæſtores vtrius Conuentus Ciuitatem, vel Benefactores, vnicuiq. aſsignans numerum, vel limites, quos magis expedire iudicauerit, vt totum prudentius fiat, & cum minori diſpendio charitatis, quod totum obſeruabunt Priores, & Quæſtores, ne ſe mutuo impediant.

Non reportent nuncia à Religioſis ad ſæculares, nec è contrà, nec epiſtolas, nec ſalutationes, aut munera, &c. ſinè Prioris expreſſa venia, & ſcitu.

In Refectorio dicant eleemoſinas, inter quas, ſi quam maioris momenti acceperint, dicant in particulari à quo, referant etiam neceſsitates, quæ noſtris orationibus commendantur, quod ſi impediti fuerint, dicant Ianitori, vel alteri, ex venia Superioris, vt ipſe referat in Refectorio.

Non petant delicatiora, & præcioſiora, etiam pro recreatione, vel Feſtiuitatibus, niſi Superior expreſsè iubeat.

A Superiore ſciant, quomodo ſe gerere debeant cum Epiſcopis, Magnatibus, & Viris Illuſtribus, tum quoad tempus, tum quoad modum petendi ab ipſis eleemoſinam.

Abſtineant ab alijs colloqutionibus, & familiaritatibus, nec ſe detineant cum ſæcularibus, præcipuè fœminis, nec ſe ingerant in illorum

rum negocijs agendis, nec aliquid omninò pe- 408
tant pro alijs etiam pauperibus, & consangui-
neis, nisi de expressa Superioris licentia, ad
quem spectat, veniam dare.

Habeant, & legant semel in Mense huiusmodi Instructionem.

## *Instructio Emptoris.*

ILle, cui fuerit hoc officium demandatum, fidelitatis, & paupertatis, ac boni exempli maximam curam gerat.

Nihil pro se, vel pro alio, quantumuis minimum, emat, nisi de expressa venia Superioris, aut Procuratoris.

Habeat codicem, in quem referat eas, quas acceperit, pecunias notato die, & mense.

Scribat similiter quomodo, & quæcunque expendit, vel emit, vt posſit reddere rationem quotidiè, vel alternis diebus Procuratori.

Nullam pecuniam det mutuo alicui, siuè ex nostris, siuè extraneis absque venia Superioris, vel accipiat mutuo pecuniam ab aliquo sinè eadem venia Prioris, vel Procuratoris, annotato die, & mense, summa ipsius pecuniæ, & personæ, à qua accepit, quam etiam curabit quantociùs restituere, & de omni tali pecunia rationem reddat Procuratori, antequam eat cubitum.

Non

Non seruet apud se aliquam pecuniam, etiã si ab aliquo Religioso, vel sæculari detur illi seruanda, nisi tantummodo eam, quam à Procuratore accipit pro quotidianis expensis.

Emat res bonas, non inutiles, nõ putridas, caueat autem, ne, quia ex proprijs nõ expẽdit, sit facilis ad soluendum quodcunque pretium, sed memor paupertatis Christi, quantum potuerit, & studeat, res emere pro modico pretio, & eas, quæ ordinariè deseruiunt Conuentui, quas non mutabit, nisi de venia Superioris.

Non emat res insoluto pretio absque venia Superioris, quod si faciendum sit, & scribat, & annotet rem, quam accepit, diem, mensem, & pretium, quo res illa venit, deq. his omnibus admoneat Superiorem, vel Procuratorem, & curet vt quantociùs soluatur.

Si aliquando emere debeat per aliquem sæcularem, id omninò faciat ex ductu Superioris, ita tamen, vt non vtatur sæcularibus ad deferendas Domi res, quas emit, sine magna necessitate.

Nullas salutationes referat Domi, vel rumores, multò minùs literas, & nuncia absque venia Superioris.

Omnes, cum quibus loqui, & agere contingat, curet suo exemplo ædificare, fugiatq. omnem speciem contentionis, & scurrilitatis, ac cauillationes, ita vt in omni re resplendeat

illa

illa prudentia, & modestia, quæ decet Religiosum virum. 409

## *Instructio Coqui.*

SCiat à Priore, quid diuersis temporibus debeat per singulos dies parare Communitati, nec id transgrediatur; quod si aliquid desit, illum tempestiuè admoneat, vt maturè prouidere possit.

Silentium seruet cum alijs, maximè Infirmario, & Ministro Refectorij, cum quibus patienter, & cum magna charitate, ac vrbanitate agere curet.

Aquam tùm manè, tùm post prandium tempestiuè paratam habeat ad tergendas lances, lintea etiam reposita pro tersoribus, & furfur, vel quid simile ad abluendas manus.

Munditiam in omnibus accuratè seruet, & locum, vbi vasa abluuntur manè, & à prandio quotidiè verrat, lebetes, & cacabus, & huius generis vasa fictilia, ac ferreà ad Culinæ vsum absterget diligenter, & lauet, postquàm vsus fuerit, eadem quarto quoque mense singulari quadam diligentia absterget, & nitidissima efficiat vltrà consuetum morem; opercula verò, & coclearia maiora, & similia singulis mensibus.

Pi-

Pisces, & alia cibaria, quæ ad mensam portanda sunt, cruda quidem dum incidit, vel parat, modestè tractet, & benè abluta in vasa conijciat, & postquàm cocta fuerint, quantum commodè fieri poterit, omninò digitis non contrectet, sed eorum loco coclear io vtatur.

Esculenta, quæ pro qualitate sua id requirunt, abluat, & mundet, terraque, lapillis, & omni sorde expurget, & studiosè, ac diligenter necessarium temporis spatium ad eam rem sumet.

Aduertat, ne plura, quàm necessaria sint, ligna comburantur, & quod maioris temporis spatio conficeretur, vehementiori igne adhibito citiùs absoluat.

Quæ cocta fuerint, pro rerum qualitate calida seruet, quod maximè attendendum est pro ijs, qui secundæ mensæ accedunt, quibus omninò curet res benè præparatas apponere.

Culinam frequenter verrat, tabulas, mensas, & armaria composita, & benè disposita, ac tersa semper habeat.

Dum Coquinam agit, habeat linteum antè se, ne contrahat immunditiam in habitu, habeat etiam alium habitum mundum ad inseruiendum sacris, si vocetur ad hoc, & curet non accedere, nisi manibus benè lotis.

Partes æquales omnibus ministret, nihil diuersum, nec diuersè conditum alicui porri-

rigat, nisi de expressa venia Superioris.

Pro pauperibus maturè præparet ea, quæ Priori videbuntur, & ex his, quæ Religiosis superererint, à Ianitore deferenda ad pauperes.

Sit memor paupertatis, & charitatis, ita vt ea, quæ Religiosis tribuit, & munda sint, & benè cocta iuxtà exigentiam rei, nec tamen sumat quædam superflua, vt sunt species aromaticæ, zaccarum, & similia, nisi cum multò moderamine, & rarò, & de Prioris expressa venia.

Paupertatis memor, quæ supersunt, nitidè conseruet, vt aliquando iterum possint inseruire, sed in hoc Prioris ductum sequatur, ne metas excedat.

Cum pulsatur ad examen conscientiæ, incipiat præparare, & in ministrandis ferculis, eam diligentiam adhibeat, vt Religiosis in Refectorio expectandum non sit, quod si solus non poterit ministrare, Socium petat à Superiore.

## *Instructio Vestuarij.*

VEstimentorum omnium, quæ induendi, præcingendi, insternendi, incubandiq. causa parata sunt, & alteriùs officio assignata non sunt, diligentem curam gerat.

In Vestuario idonea habeat armaria, in qui-

bus distinctè, & diligenter recondita seruet vestimenta ad cuiuscunque vsum destinata, interiores autem tunicas, & subligacula proprijs nominibus eorum, ad quorum vsum assignantur, filo, vel alio meliori modo signet, nisi aliud Superiori videatur.

Habeat Armarium aliquod benè clausum pro vestibus Nouitiorum, & clauem taliter custodiat, ne facilè ab alijs possit inueniri.

A puluere, muribus, tineis, &c. omnia seruare incorrupta curiosè curet, & ideò per æstatem, quæ lanea sunt, sæpè Soli, & Aeri exponet, & puluerem excutiat, quæ tamen nocte in Vestuarium deferat.

Bis saltem in anno, hoc est, Vere, & Autumno lodices omnes curet à puluere diligenter discuti, & Aeri exponi, qua de re suo tempore Superiorem admoneat.

Moneat itidem Fratres, vt si quid in eorum vestimentis consuendum, vel quocumque modo reconcinnandum fuerit, ad ipsum deferant, ne maior iactura fiat.

Vestimenta, quæ pro temporis, vel vsus ratione in cubiculis habere non debent, curet quantociùs sibi tradi, & ea, quæ trita sunt, exigat, cum quis noua accipit.

Moneat Superiorem tempestiuè de eo, quod ad singulorum, & communem vsum comparandum, prouidendumq. cognouerit, vt tempore

op-

oportuno præparari possit, & si quid ei vsui, cui fuerit destinatum, amplius aptum non esse viderit, sciat à Superiore, quid de eo agendum sit.

In faciendis, & resarciendis vestibus caueat, ne quicquam, quamuis minimum faciat contrà nostrum institutum, aut res nouas, quamuis leues introducat: habeat in officina affixam tabellam, in qua per ordinem descriptæ sint mensuræ, formæ, & qualitates cuiuscunque indumenti in particulari, quas nullo modo transgrediatur, & si quis aliquid diuersum postulauerit, moneat Superiorem, quid expediat facere.

Maximè inuigilet, ne in aliquibus vestibus, quæ siuè pro infirmis, siuè pro iter agentibus aliquando fiunt, aliquid curiositatis introducatur, veluti lodices, & vestes interiores ex bombixo, vel lino, sed omnia lanea sint, & non curiosè elaborata, sed paupertati congrua, & si contigerit aliquid simile aliundè ad Conuentum afferri, Superiori ostendat, vt iudicet, quid faciendum sit, & in Visitationibus Visitatori proponat ista visitanda, ne quid in hoc genere contrà bonam Religionis consuetudinem admittatur.

Vestimenta, & reliqua Religiosorum vsui assignata, neminem sibi sumere, nec eorum loca peruestigare, aut quicquam mutari per-

mittat, sinè expressa Superioris veniã.

Vestuarium ipsum à superiori parte, & circumcirca à telis aranearum, & omni immunditia purget, & bis in hebdomada saltem verrat. Armaria item ab omni sorde libera semper habeat.

Semel in hebdomada singulorum Fratrum tunicas interiores, & subligacula lauabit, si tamen in hyeme aliquando ob temporis incommoditatem non ita frequenter lauari, & siccari poterunt, moneat Superiorem, & secundum illius præscriptum poterit tempus differre.

Mappas, & manutergia pro Refectorij vsu bis in hebdomada permutanda prouidebit Ministro Refectorij: omnia autem benè munda, & sicca diligenter tradere curet.

## *Instructio Hortulani.*

CVram habeat purgandi vias, ac suis temporibus semina terræ mundandi, plantandi olera, vites, & arbores putandi.

Nihil siuè Religiosis, siuè sæcularibus etiam minimum tribuat, quamuis abundet, & supersit Conuentui, nisi de expressa Superioris veniã.

Ad vsum Domus, vel Religiosorum eas herbas, & eos fructus colligat, quos Prior ordi-

ordinauerit, & proindè ab ipso sciat, quomodo in ea re se gerat, herbas autem, & fructus non multò antè colligat, quam sit necessarium illis vti, vt, quantum fieri potest, recentia apponantur.

Temporibus suis irrigabit plantas, arbores, &c. & si ad aliquid sęcularis auxilio indigere videbitur, moneat Superiorem, caueatque, ne verba faciat, nisi tantum necessaria, vtilia, & religiosa, nec sinat, vt ad alia obsequia à Fratribus admittatur, nec ipse ad aliud vtatur sua opera, nisi ad id, quod à Priore assignatur.

Intrà hortum, tempore Solis ęstiui, vel etiam cum pluit, poterit habere galerum ex paleis, vel alio, & in hyeme tempore niuium poterit vti zoccolis de venia Superioris, & in Horto tantum.

Curet scire à peritis tempus seminandi, &c. & ea plantet, ac seminet, quæ nobis magis necessaria sunt iuxtà Prioris arbitrium.

Habeat etiam in Horto aliquem locum idoneum ad colendos flores pro decore Ecclesiæ, in quo sit valdè sedulus, ac studiosus.

Nihil emat, nihil vendat, nisi de Prioris expressa venia, & pretium tradat Procuratori, vel si emendum est aliquid necessarium pro Horto, emet de Prioris venia, sed ad hoc pecuniam apud se non retineat.

## *Instructio Calcearij.*


QVando aliquis petit sandalia noua, non faciat sinè licentia Superioris, ad quem etiam illa regulariter deferet, vt videat, an in ipsis aliquid contrà nostras leges reperiatur, ne aliquid superfluè, vel curiosè introducatur.

Trita sandalia sibi reddi curet, & reficiat tempestiuè cum primùm vitium apparet, ex his etiam habeat aliqua in officina, vt commodare possit his, qui afferunt ad ipsum resarcienda, & posteà recipiat.

Sandalia habeant tantummodo duas, vel tres soleas, vt præcipitur in Constitutionibus, siuè illæ solæ sint integræ; siuè non; particulæ autem, quibus ad pedes adstringuntur, vnius digiti latitudinem, non excedant.

Moneat Superiorem, aut Procuratorem oportunè, vt prouideant corium, & alia, quibus ad suum ministerium opus habet.


FINIS




IN-

# INDEX.







Lite-

FINIS.